MORALIA

SIVE

DE SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ
E T
PŒNITENTIÆ SACRAMENTO

LIBER UNICUS

III. IN ORDINE

CONTINENS OPUSCULA SEX, NEMPE

I. De cultu exhibendo sacrosanctæ Eucharistiæ.
II. De usu Eucharistiæ, seu an crebrius, vel rarius sit ea danda laicis.
III. De quotidiana celebratione Missæ.
IV. De uberiori fructu Sacrificii in loco sacro, quam in Cappella privata.
V. Memoriale Confessariorum.
VI. Confessarius Recidivi, seu de danda, aut neganda, vel differenda Absolutione Recidivo.

AUCTORE

ANDREA HIERONYMO ANDREUCCI

E SOCIETATE JESU.



ROMÆ MDCCLXVI.

TYPIS, ET SUMPTIBUS GENEROSI SALOMONI.

SUPERIORUM PERMISSU.

ADMIRABILI S. ROSÆ
VIRGINI VITERBIENSI
EX TERTIO ORDINE S. FRANCISCI

ANDREAS HIERONYMUS ANDREUCCI SOC. JESU.



Ommunis Tibi, & mihi patria eſt, o admirabilis Sponſa Chriſti, S. ROSA: ſed non idem mihi eſt, ac Tibi fuerit vitæ curſus. Tu quippe (*) ab ipſa infantia omni virtute enituiſti, facta perfectionis Magiſtra, cum vix loqui didiciſſes. Deinde charitate in Deum, & Proximum quammaxime incenſa, piis adhortationibus, validiſque argumentis, multos Hæreticos ad Fidem, & obedientiam Romani Pontificis reduxiſti: ut omittam jejunia, aliaſque corporis voluntarias afflictationes, quibus Te ipſam Deo hoſtiam vivam offerebas, cæteriſque Divinam Clementiam conciliabas. Tandem poſt exilium a patria, poſt ingeſta convitia, & ludibria, aliaſ-

(*) Ex Brev. Rom.

que injurias patienter pro Christo toleratas, ad beatam Patriam suspirans, decimo octavo Tuæ ætatis anno nondum exacto, sanctis operibus, & miraculis clara, ad Cœlum migrasti. Ipse vero, me miserum! quam longe ab hoc vitæ genere abfui! Nulla in me virtus agnoscitur, nihil hactenus pro Christo toleravi, nullum, aut certe exiguum ad salutem animarum laborem, ac solicitudinem contuli, ætate jam senex, puer adhuc sum in via Domini, adeo ut apposite in me cadat illud *Isaiæ 65. Puer centum annorum morietur*. Quamobrem opem Tuam enixe efflagito, o admirabilis Sancta, ut cujus tam dissimilis tuo fuit vitæ cursus, sit saltem similis vitæ exitus, ita ut ipse tempus instanter operando redimens, Cœlestem etiam ipse per tuas ad Deum preces Patriam ingredi promerear. Hanc me in spem Tua in clientes, & cives perspecta benignitas erigit, & in hujus conceptæ a me spei significationem, studiorum meorum morales Lucubrationes Tibi præ cæteris inscribo, do, ac dedico; quibus si ipsa de Cœlo virtutem juvandi alios impertieris, & non satis æquam Censorum criticen averteris, uberiorem mihi spem injicies, qui æternæ salutis per Tuas preces obtinendæ spem propositam habeo. Quidquid in re litteraria mihi præstiteris, spem meam augebit, fore ut majoris momenti opus impleas, nec velis in re omnium gravissima clientem Tuum, & civem deserere. Per ea quippe, quæ sunt præstita, discimus sperare quæ poscimus.

LAU-

LAURENTIUS RICCI

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Moralia, sive de sanctissima Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramento Liber Unicus, III. in ordine*, a P. Andrea Hieronymo Andreucci Societatis nostræ conscriptum, aliquot nostri Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, & Sigillo Officii nostri munitas dedimus. Romæ die 7. Augusti 1765.

Laurentius Ricci.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. J. Archiep. Nicomed. Vicesg.

Librum continentem sex Opuscula sequentia, nempe *De cultu Sanctissimæ Eucharistiæ exhibendo: An crebrius, vel rarius danda sit Laicis Divina Eucharistia: An expediat Sacerdotem quotidie celebrare: De uberiore fructu Sacrificii in loco sacro, quam in Cappella privata: Memoriale Confessariorum, seu de Ministro & Sacramento Pœnitentiæ, res omnis Moralis in compendium redacta: Confessarius Recidivi, seu de danda, aut neganda, vel differenda Absolutione Recidivo*, Auctore P. Andrea Hieronymo Andreucci Societatis Jesu, quem Reverendissimus Pater Sacri Palatii Apostolici Magister mihi recognoscendum commisit, publici juris fieri posse dignissimum censeo; clarissimi namque ac doctissimi Auctoris Lucubrationes, nedum Catholicæ Fidei, ac bonis moribus aptissime conformantur, sed plurima Reipublicæ litterariæ proficua, & Curatoribus animarum necessaria continent.

Datum in Conventu S. Pauli ad Arenulam Urbis die 18. Februarii 1766.

Fr. Joannes Sinacori Sacræ Theologiæ Magister, ac Tertii Ordinis S. Francisci ex-Minister Generalis.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sac. Pal. Apost. Magister.

INDEX

INDEX

OPUSCULORUM, ET QUÆSTIONUM.

OPUSCULUM I.

De cultu exhibendo Sacrosanctæ Eucharistiæ.

PARS PRIMA.

De iis quæ ad cultum Eucharistiæ de præcepto servanda sunt.

PARS SECUNDA.

De iis quæ ad cultum Eucharistiæ de præcepto vitanda sunt.

PARS

PARS TERTIA

De iis quæ ad cultum Eucharistiæ de consilio servanda, vitandave sunt.

OPUSCULUM II.

De usu Eucharistiæ, seu an crebrius, vel rarius ea sit danda Laicis.

PARS PRIMA.

Quale sit, & quid statuat Decretum Sac. Cong. Concilii Tridentini Interpretum hac de re editum anno 1679.

PARS SECUNDA.

Proponitur, ac resolvitur Casus.

PARS TERTIA.

Proponuntur aliquot morales Regulæ servandæ a Confessario in concedendo crebrius, aut rarius Laicis sacram Communionem, ut sit fidelis dispensator, & prudens.

APPENDIX

De Communione in Viaticum.

OPUSCULUM III.

De quotidiana celebratione Missæ.

ADDITIO.

OPUSCULUM IV.

De uberiori fructu Sacrificii in loco sacro, quam in Cappella privata.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

Proponitur, & probatur uberior fructus Sacrificii in loco sacro.

PARS TERTIA.

OPU-

PARS TERTIA;

In qua selecta ad Confessarii munus spectantia cum adnotationibus proponuntur.


ELENCHUS, SEU INDEX CENSURARUM, ALIARUMQUE POENARUM CANONICARUM, RESERVATIONUM, IMPEDIMENTORUM ETC.

PRAXIS

Pro Confessario infirmi extremo, vel gravi morbo laborantis.

OPUSCULUM VI.

Confessarius Recidivi, seu de danda, aut neganda, vel differenda Absolutione Recidivo.



DE

DE CULTU EXHIBENDO SACROSANCTÆ EUCHARISTIÆ

OPUSCULUM I.



Atholica Romanaque Fides cum nos doceat, in venerabili Euchariſtiæ Sacramento illum eumdem Deum præſentem eſſe, quem Pater æternus introducens in Orbem Terrarum, dixit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: noſtrum unuſquiſque ſatis intelligit, tanto huic Sacramento honorem quammaximum eſſe deferendum, illudque cultu, quem vocant, latriæ rite, ut par eſt, adorandum: præſertim intellectum cum firmet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. *& can.* 6. *de Euchariſtia*, & manifeſta ratio, quam late proſequuntur Suarez *de Sacram. diſp.* 65. *ſect.* 1. ac Bellarminus *tom.* 2. *Controv. lib.* 4. *cap.* 29. prorſus idem evincat: ſiquidem Deo vero debetur adoratio latriæ, *Deuter.* 6. & *Matth.* 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: Chriſtus autem, ut eſt in Euchariſtia, ſive in uſu, ſive extra, eſt Deus verus: igitur adorandus eſt cultu latriæ. Ubi animadvertas, non temere a me adjectum fuiſſe ly rite; nam ita huic Sacramento cultum hujuſmodi deferre nos oportet, ut non ſolum Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtens, ſed etiam totum Sacramentum viſibile, ut ex Chriſto, & ſpeciebus conſtat, unico latriæ actu adorandum ſit, & quidem non tantum interiori, ſed etiam exteriori, & viſibili cultu, ex Suarez *ibid.* ac Bellarm. *ibid.* Ut vero id ab omnibus expedite compoſiteque præſtetur, viſum eſt mihi nonnulla ex iis, quæ cultui erga Divinam Euchariſtiam conferunt, quæque eidem officiunt, paucis perſtringere; etenim non levis momenti ad rem quamcumque peragendam arbitror, ſervanda, vitandaque prænoſcere. Cum autem ex Pontificiis ſanctionibus *Cap. Sane, de celebr. Miſſ.* ad Parochos, alioſque Eccleſiæ Præſides ſpectet plebem ſuam frequenter edocere cultum ac venerationem auguſtiſſimo huic Sacramento debitam, videlicet, ut in eadem ſanctione monet Honorius III. *ne propter incuriam Sacerdotum Divinà indignatio gravis exardeſcat*; opportunum exiſtimavi ad Parochos Opuſculum hoc qualecumque dirigere, ut quod religioſe ipſi hactenus exequuntur, conſtanter urgeant, & ab hujuſmodi promovenda Euchariſtiæ veneratione nunquam animum remittant. Porro rem omnem tres in Partes diſtribuam. In I. agam de iis, quæ ad cultum Euchariſtiæ de præcepto ſervanda ſunt. In II. de iis, quæ ſunt de præcepto vitanda. In III. de iis, quæ de conſilio & æquitate ſervanda, quæque de conſilio & æquitate vitanda ſunt.

PARS PRIMA

DE IIS QUÆ AD CULTUM EUCHARISTIÆ DE PRÆCEPTO SERVANDA SUNT.

1. SIT assertio. Tenemur exhibere interdum honorem aliquem venerabili Sacramento; ac propterea non satis est ex Fide credere, illud cultu atque adoratione latriæ dignum esse, sed insuper debemus eidem de facto cultum hujusmodi tempore opportuno præstare. Probo hoc tum auctoritate, tum ratione. Et quidem auctoritate; nam eximius Doctor Suarez *disp.65. de Sacr. sect.*1. expresse asserit, dari præceptum affirmativum exhibendi interdum honorem aliquem huic Sacramento, quod, utpote affirmativum, licet semper obliget, non tamen pro semper, sed tempore opportuno; additque idem Auctor, non esse dubium, quin tale præceptum sit nobis impositum. Ratione; quia hoc Sacramentum nobis datum est, ut illud tractemus, & eo utamur: ergo tractandum est pro illius majestate, & dignitate: majestas autem, ac dignitas ipsius non solum exigit, ne unquam illi irreverentiam irrogemus, sed etiam ut interdum honorem illi & cultum exhibeamus. Huc accedit, quod, ut inquit Bellarminus, licet non sit primaria ratio institutionis Sacramenti, ut Christus ibi adoretur; tamen etiam ista ratio quædam fuit, ut haberemus Christum magis præsentem, & ut præsentem honoraremus: unde Eusebius Emisenus *hom.5. de Pasch.* dicit, institutum esse Sacramentum hoc, ut coleretur Christus jugiter per mysterium: ergo sicuti ex institutione Sacramenti ad finem nutriendi, & conservandi vitam spiritualem, consequitur naturaliter præceptum affirmativum de sumptione Eucharistiæ, ex de Lugo *de Euch. disp.*16. *sect.*1. aliisque, ita ex institutione Sacramenti ad finem, licet non primarium, honorandi Christum præsentem, consequitur præceptum de exhibendo interdum hujusmodi honore. Quod sane primis Ecclesiæ temporibus ita Fideles observarunt, ut non solum ipsum Sacramentum in omni præcipuo honore haberent, sed, teste Cardinali Baronio *ad annum Christi* 57. ipsum communem panem, quia ex eo Sacramentum conficitur, aliqua honoris significatione prosequerentur: unde scripsit Tertullianus: *Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram, anxie patimur.*

2. Dubitabis I. an tale præceptum obliget etiam Infideles? ℟. præmittendo, aliud esse obligari lege, aliud a legis transgressione excusari: quo posito, dico, Infideles obligari lege, seu præcepto honorandi Christum in Eucharistia; nam tenentur legibus naturalibus, & Divinis, siquidem Deo, & rationi subduntur: eosdem tamen excusari aliquando ex eo, quod per accidens non fuerit illis in particulari sufficienter proposita veritas Catholica. Hinc tenemur eos corrigere (sicuti etiam ebrios, & amentes), quando pro tempore, & loco non exhibent honoris signa huic Sacramento, dummodo tamen id facere commode possimus, & adsit spes fructus. Ratio est; quia illa honoris omissio in tali, vel tali circumstantia, etiam facta ab Infideli, abso-

bſolute malum quoddam eſt, licet non imputetur illi per accidens ad culpam: ergo eſt materia correctionis, & conſequenter &c. Vide Caſtropal. *de correct. diſp.* 3. *part.* 4. Opportune hic ſuccurrit, quod narrat Ribera *in Vita S. Tereſiæ lib.* 4. *cap.* 12. ſcilicet ſanctam eam Fœminam, quadam in urbe cum degeret, plures noctes ferme inſomnes tranſegiſſe præ ſolicitudine, ne occultus aliquis Infidelis ad Sacramenti locum minus reverens accederet; imo ſæpius e lecto ſurrexiſſe, ut, ſi quem hujuſmodi reperiret, ipſa corrigeret, & injuriam omnem a Sacramento propulſaret: uſque adeo ſanctæ Virgini inſederat cura, ne quiſquam ab officio erga tam venerabile Sacramentum diſcederet.

3. Dubitabis II. quando obliget tale præceptum, ſeu pro quo tempore determinato urgeat ejus obligatio? ℞. deſignando cum Suarez *diſp.* 65. *ſect.* 1. duplex tempus: aliud in generali, aliud in particulari. Et primo quidem in generali, tunc ajo urgere tale præceptum, quando talis occurrit occaſio exhibendi honorem Sacramento, ut eam prætermittere ſit quidam virtualis contemptus, & moraliter exiſtimetur irreverentia quædam, & non pura negatio, ſed privatio, ſeu omiſſio honoris debiti, aut ablatio ejuſdem. Explicatur hoc in exemplo Principis terreni; nam licet non teneamur ſemper illum poſitive honorare, tamen, ſi ille nobis obviam fiat, ſi illum conveniamus, ſi alloquamur &c. tenemur ei reverentiam exhibere, ita ut omiſſio talis reverentiæ, merito cenſeretur quædam inhonoratio: imo Leſſius *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 27. putat, committi contumeliam interpretativam ab eo, qui, aliis honorantibus Principem prætereuntem, illum ſine ullo honoris ſigno impudenter aſpiceret. Pariformiter igitur, & multo majori ratione dicendum eſt, reſpectu Sacramenti; nam licet præceptum de ipſius veneratione, utpote affirmativum, non urgeat pro ſemper, tamen nefas eſſet eam venerationem omittere in ejuſmodi opportunis circumſtantiis. Adde, quod, ſi publice in talibus opportunitatibus omitteretur veneratio, haberetur peccatum etiam ratione ſcandali: imo, ſi frequenter id fieret, ſuſpicionem poſſet alicujus infidelitatis, vel erroris generare, ex Suarez *loc. cit.* Deinde in particulari, tunc ajo circumſtantias opportunas exigentes Sacramenti venerationem occurrere, ac propterea tunc in particulari urgere præceptum venerationis I. quando accedimus ad ſacrificandum: II. quando quis ſacram Communionem ſuſcipere vult: III. quando hoc Sacramentum proponitur ab Eccleſia adorandum, v. g. cum elevatur in Miſſa &c. IV. quandocumque Sacramentum nobis præſens ſit, ut cum in publicis Proceſſionibus per vias circumagitur, vel ad infirmos deportatur, vel in aliis ſimilibus caſibus nobis occurrit. Et quidem hæc ſpecialiter tempora deſignantur non ſolum ex ratione, quam ſingulis deſignatis temporibus annectit Suarez *loc. cit.* ſed etiam ex auctoritate Patrum idem ſentientium, ex praxi Eccleſiæ, & ex ſanctionibus canonicis, præſertim *in Cap. Sane, de celebr. Miſſ.* aliiſque juribus: unde Odo Pariſienſis *in Synodicis Conſtit. cap.* 5. expreſſe ait: *Frequenter moneantur laici, ut, ubicumque viderint deferri Corpus Domini, ſtatim genua flectant tanquam Domino Creatori ſuo, & junctis manibus, quoaduſque tranſierit, orent:*

orent: quæ ſane monitio Deo quam grata ſit, ex eo Parochi facile colligent, quod Angelorum exercitus in Euchariſtiæ myſterio, uti teſtantur S. Chryſoſtomus, & S. Gregorius apud Salmeronem *lib.9. tract.2.* Chriſto miniſtrant, diſponendo ſcilicet mentes hominum ad reverentiam, & ſummum cultum præſtandum ipſi Domino in myſterio contento.

4. Dubitabis III. quomodo veneratio, ſeu adoratio exhibenda ſit Divino Sacramento? R. ſupponendo ex Leſſio *de Juſt. lib.1. c.38. d.1.* adorationem proprie nihil aliud eſſe, quam honorem externo corporis geſtu exhibitum, ut genuflexione, capitis apertione, inclinatione, corporis in terram proſtratione &c. his enim, & ſimilibus modis alios honoramus; teſtamur enim noſtram ſubmiſſionem, & alterius excellentiam. Itaque adoratio proprie conſiſtit in externo illo geſtu, quatenus eſt ſignum internæ æſtimationis, reverentiæ, & ſubmiſſionis erga alterum, & conſequenter illius quoque excellentiæ. Notandum tamen eſt I. quod, ſi per externam illam ſubmiſſionis notam intendat quis alteri ſe ſubmittere tanquam Deo, & teſtari ejus Divinitatem, erit cultus latriæ: ſi intendat alteri ſe ſubmittere tanquam amico Dei, erit cultus duliæ &c. unde adoratio non ſolum ſupponit actum, & affectum internum, ſed ab eodem diverſificatur, & ab eodem provenit, ut ſit cultus latriæ potius, quam duliæ &c.

5. Notandum etiam eſt II. quod ſignum externum; v.g. genuflexio, habet ex duplici capite eſſe ſignum reverentiæ, & æſtimationis internæ: 1. ex eo quod talis nota ſit vel per legem, vel per conſuetudinem patriæ inducta ad ſignificandam reverentiam: 2. ex eo quod homines hic & nunc interpretentur, ejuſmodi notam, ſeu actionem, fieri ex quadam interna reverentia, & æſtimatione perſonæ; quæ tamen interpretatio videtur inniti aliqua patriæ conſuetudine.

6. His poſitis ac notatis, dico ſic. Tenemur exhibere reverentiam atque adorationem Euchariſtiæ hoc modo: ſcilicet honorando illam non ſolum ſpiritu, ſeu interno affectu, v.g. per actus fidei Divinæ, ſpei, charitatis, pœnitentiæ &c. ſed etiam externo corporis geſtu, aliiſque ſignis adhibitis ex intentione teſtificandi noſtram ſubmiſſionem Deo Homini vero ibidem latenti ac præſenti: unde S. Cyrillus Hier. *Catech.5. myſtag. Accede*, inquit, *pronus adorationis in modum, & venerationis.* Hæc autem externa ſigna ea eſſe debent, quæ vel lex, vel conſuetudo ad reverentiæ ſignificationem inſtituit, quæque homines hic & nunc interpretantur ad reverentiæ ſignificationem fieri. Ad cavendam vero ſuperſtitionem, recte monet Suarez, publice ſervandos eſſe uniuſcujuſque Eccleſiæ uſus: ſecreto vero unuſquiſque illis actibus uti poteſt, qui & nullo modo indecentes ſint, & ad humilitatem, & reverentiam oſtendendam, & unicuique ad devotionem excitandam accommodati videantur. Præclarum hac in re, ſicut cæteris piis in rebus, nobis reliquit exemplum fel. record. Card. Ptolemæus, qui, ſicut refertur in ejus Oratione funebri, *ut Sanctiſſimum Chriſti Corpus venerari de die poſſet, veritus, ne ſi in Odæum diverteret, moleſtiam domeſticis afferret aliquam, genibus ante cubiculi feneſtellam poſitis, unde in proximam ædem Virginis, a*

Via

Via dictæ, prospectus erat, latentem Deum adorabat, nunquam sane ingeniosior, quam cum ita pius.

7. Dubitabis IV. quale peccatum sit, huic præcepto affirmativo de veneratione Sacramenti non satisfacere? ℞. per se loquendo, esse peccatum mortale. Ratio est; quia omne peccatum, quod est contra graves virtutes, v. g. theologicas, vel religionis virtutem, vel justitiam, vel charitatem proximi &c. est per se peccatum mortale. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *Instit. moral. cap.* 9. *quæst.* 8. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 1. Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. aliique communiter. Atqui non satisfacere præcepto affirmativo de veneratione Sacramenti est peccatum contra virtutem religionis; siquidem hæc obligatio venerandi Sacramenti nascitur ex intrinseca connexione talis actus cum honestate talis virtutis, supposita institutione Sacramenti. Ergo non satisfacere tali præcepto est per se peccatum mortale. Hinc gravissime se offensum ostendit Deus in hominem, qui cultum ac venerationem ab hoc Sacramento contendebat removere; nam Thomas Waldensis, testis oculatus, *tom.* 2. *cap.* 63. scribit, Sartorem quemdam hæreticum, publice in Ecclesia S. Pauli Londini in judicio coram Archiepiscopo, & aliis Prælatis constitutum, dixisse, digniorem esse araneam cultu ac reverentia, quam Eucharistiam, & continuo de alto tecti culmine horribilem araneam directo filo ad os ejus properasse, ac vix multorum manibus prohibitam, ne ingrederetur. Ita apud Bellarminum.

8. Advertas, me dixisse, per se esse peccatum mortale non satisfacere præcepto &c. nam per accidens est dumtaxat veniale, omittere talem venerationem ob negligentiam aliquam, seclusо formali contemptu, & scandalo. Ratio est; quia parvitas materiæ facit, ut talis omissio, licet de se sit gravis, tamen non semper habeat gravem deordinationem. Ita Suarez *de Sacr. disp.* 65. *sect.* 1. ubi recte addit, posse dari casum, ut talis omissio, nulla sit culpa, v.g. si vel propter naturalem inadvertentiam, vel ob urgentem necessitatem involuntaria censeatur. At caveant Christiani, ne facile sibi persuadeant, ibi esse parvitatem materiæ, ubi revera ex communi sensu timoratorum virorum adest gravitas: imo curent imitari nunquam satis laudatum Sanctum Carolum, qui, ut habetur *lib.* 8. *cap.* 4. *Vitæ ipsius*, nihil, quod ad Divinum cultum pertineret, minimum esse, aut parvi faciendum, existimabat, licet illud minimi a vulgo fieret, aut negligeretur.

9. Hæc quidem de præcepto naturali ac Divino adorationis ac venerationis erga tam ineffabile Sacramentum. Superest autem illud advertendum, aliqua esse de præcepto, vel consuetudine Ecclesiæ instituta, quammaxime conducentia ad reverentiam & cultum tanti Sacramenti, quæque propterea omnino servanda sunt. Hæc porro statim subjicio. I. Admirabile hoc Sacramentum asservandum est clave obseratum in Sacrario cujuslibet Ecclesiæ Parochialis sub fideli custodia, ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 6. *de Euch. & can.* 7. & *in Cap. Sane, de celebr. Miss. Cap. Statuimus, de custod. Euchar. &c.* Notentur ly clave obseratum, & ly sub fideli custodia, tum propter varias Constitutiones Ecclesiasticas, ac plura iterata Edicta Supremæ Inquisitionis, tum propter ze-

zelum, quem unusquisque habere debet, ne Sacramento irreverentia irrogetur: qua in re videas egregium facinus apud Famianum Strada *de Bello Belgico decad.*1. *l*.9. ibi enim reperies virum, qui argenteam Pyxidem manu elata per media sacrilegorum arma asportavit, ut Sacramentum ab Hæreticorum contumeliis vindicaret. II. Quod nonnisi Summus Pontifex possit concedere licentiam asservandi hoc Sacramentum extra Ecclesiam Parochialem, & Religiosorum domum; siquidem frequenter alibi asservari non potest ea decentia & honestate, qua par est. Ita ex Castropalao *de Sacr. tract.*21. *p.*8. & ex Decreto Congregationis Card. quod referunt Praxis nova Episc. 2.*p. cap*.3. Genuens. *in praxi Archiep. Neap. cap.*92. Barbosa *de Potest. Episc.* 2.*p. allegat.*23. *num.*8. *&c.* Hinc neque de licentia Episcopi regulariter potest asservari Sacramentum Eucharistiæ in Sacellis privatis nobilium. An vero possit in aliquo casu Episcopus facere hanc concessionem ex recta ratione, interpretante voluntatem superioris, pendet ex eo, quod bene tractant Cajetanus, ac Sylvester *verb. Dispensatio*, & Suarez *lib.6. cap.*14. *de legibus*. Mihi certum videtur, id posse ab Episcopo concedi, tum quando necessitas magna id postulet, & sit impotentia adeundi Pontificem, tum quando alicubi ea vigeat consuetudo, quæ sane est optima legum interpres. III. Quod hoc ineffabile Sacramentum non asservetur in Choro Monialium, sed in Ecclesia exteriori, ex Decreto Concilii Tridentini *sess.*25. *de Reg. cap*.4. Imo Barbosa *in Collect.*5. *v.Moniales*, refert, Sacram Congregationem censuisse, clavem custodiæ SS. Eucharistiæ non committi debere Monialibus, sed retinendam semper penes Sacerdotem, ad quem spectat illam ipsis administrare: quod item notavit Tamburinus *d.*24. *de jure Abb. quæst.*2. *num.*5. Quamvis vero non defuerit qui existimaverit, non fieri contra hanc legem, si Eucharistia asservetur a Monialibus tum in Ecclesia exteriori, tum simul in Choro, recte tamen improbatur a Castropalao talis existimatio; siquidem finis intentus a Concilio videtur esse, ut auferatur consuetudo asservandi Eucharistiam extra Ecclesiam, quæ consuetudo olim invaluerat apud veteres Fideles, qui Eucharistiam domi retinebant, ac secum gestabant, prout de S. Satyro fratre scribit S. Ambrosius. IV. Quod hoc Sacramentum non deferatur publice sine lumine; ita ut graviter peccarent Parochi, ex Castropalao, si in hoc deficerent: tum quia id statuitur verbis satis gravibus, & ad finem pariter gravem augendi ex hoc apud omnes fidem, & devotionem, *ex Cap. Sane, de celebr. Miss.* tum quia ibidem injungitur Prælatis, ne hujus mandati differant graviter punire transgressores, *si & ipsi Divinam*, & *Apostolicam velint effugere ultionem*. Dixi, publice; nam tempore pestis, & cum infirmus longe abest ab Ecclesia, scilicet per leucam, inquit Castropalaus, potest deferri in sinu Sacerdotis secreto. Item posse in necessitate omitti gestationem luminis, docet Gobatus *tract.*4. v. g. si deferenda esset Eucharistia per urbes hæreticas. Certe S. Franciscus Salesius, ut accepimus ex ejus historia, priusquam crearetur Episcopus, solebat per tales urbes deferre sacram Hostiam, sub vestibus abditam, sine ulla alia exteriori cæremonia, nisi quod majori, quam alias, gravitate ac modestia incederet. V. Quod hoc Sacramen-

mentum, non in parietibus, ut olim, sed in tabernaculo affabre facto, ac decenter pro facultatibus Ecclesiæ intrinsece, & extrinsece ornato, cum serica veste utrobique, necnon cum Pyxide argentea intrinsecus inaurata, & sub se corporalem Pallam benedictam habente, asservetur. Ita ex variis Ecclesiæ sanctionibus apud Pacem Jordanum *l.* 8. *tit.* 3. Hinc S. Carolus, ut habetur *lib.* 8. *Vitæ cap.* 4. severissime præcepit, ut Divina Eucharistia, non in parietibus, sed in Ara maxima in Ecclesiis Collegiatis, Parochialibus, & Monialium custodiretur. In Cathedralibus scilicet non est servanda in Ara maxima, propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad Altare. VI. Quod ante hoc Divinum Sacramentum diu noctuque sit lumen accensum: id enim licet nullo communi jure scripto præceptum sit, ut inquit eruditissimus Castropalaus, tamen ex laudabili consuetudine legitime introducta observari debet, quoad fieri potest. Et quidem adeo observari debet, ut, hanc consuetudinem habere vim præcepti universalis, affirmet Sa *v. Eucharistia*. Unde, nisi paupertas Ecclesiæ Parochialis excuset, juxta Henaum, peccaretur graviter, nisi lampas accensa servaretur, ob graviter culpabilem negligentiam, per integrum diem, vel per aliquot integras noctes, non autem per horam tantum. Putat autem talis Auctor, dari in casu paupertatis excusationem; quia in tali casu prævalet necessitas asservandi consecratas Hostias pro infirmis. Hæc autem obligatio afficit Sacristas, & in eorum defectu Rectorem Ecclesiæ, *ex Cap. unic. de off. Sacrist.* apud Henaum *d.* 16. contra Quintanaduegnas. Qua in re optime atque erudite differit Theophilus Raynaudus *tract. de Euchar. cap.* 5. *ad fin.* Et quidem sicuti ante arcam Testamenti semper lucebat candelabrum, *Exod. cap.* 5. ita par est, in signum venerationis, ac reverentiæ, ut ante Divinum hoc Sacramentum diu noctuque lampas lucescat: quod in diœcesi præcepit mandavitque servari S. Carolus, & fere in omnibus synodicis diœcesum constitutionibus sancitur. VII. Quod hoc Sacramentum non deferatur ad infirmos, qui nequeunt illud suscipere, saltem ut ab iis adoretur, ex prohibitione S. Pii V. & Congregationis Concilii apud Tamburinum. Tametsi autem Delgadillo de hac prohibitione dubitet, tamen in praxi ita servandum esse docet de Lugo *l.* 1. *Resp. moral. dub.* 11. VIII. Quod hoc Sacramentum non exponatur venerationi publicæ in aliquibus particularibus Ecclesiis, v. g. Confraternitatum, sine expressa Ordinarii licentia, ex Decreto Sacræ Congregationis apud Nicolium *verb. Euchar.* Vide Dianam *coord. tom.* 6. *tract.* 1. *res.* 31. quo ad expositionem in Ecclesiis Regularium.

10. Præterea ex Pace Jordano *tract.* 1. *l.* 3. *tit.* 3. *de Euchar.* tenentur Episcopi in festo Corporis Christi solemnem Processionem, ad præscriptum, & normam Cæremonialis Episcoporum *part.* 2. *cap.* 33. singulis annis instituere, ac per se ipsos, nisi grave ac legitimum subsit impedimentum; sacratissimam Hostiam manibus devote ac reverenter gestare: imo, juxta citatum Auctorem, opus est, ut Episcopi, præter solemnem eam Processionem, curent, SS. Sacramentum decenter per totam Octavam publice in Altari proponi, dum Officia Divina peraguntur, quibus ipsemet Episcopus, inquit citatus Au-

Auctor, deberet interesse matutinis, ac vespertinis saltem horis, ut ad Pastoris exemplum *Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repraesentatur*. Tridentinum *sess. 13. c. 5. de Eucharistia*.

11. Res hujusmodi conducentes ad cultum SS. Sacramenti, incredibile est, quanti fecerit, & quam studiose eas servaverit Augustissima Imperatrix Eleonora Neoburgica, invictissimi Imperatoris, Regisque Catholici Caroli VI. Mater, omnibus prorsus virtutibus, ac praesertim pietate ornatissima. Haec quippe Princeps Foemina magnopere curabat, ut supellex omnis, Sacramenti usui, ac ministerio destinata, pretiosa esset, elegans, ac nitidissima. Vidisses Reginarum, Regum, atque Imperatorum Matrem, & Conjugem, jam acu pingere, jam sericis vestibus aureos, argenteosque flosculos intexere, jam linea Altarium tegumenta scite abstergere, ac perpolire, ut Austriae, Hungariae, aliarumque provinciarum Templa haberent abunde, quae in Eucharistiae cultum & ornatum conferrent, adhiberentque. Nescias, tali spectaculo magis ne Coelum plauderet, an tellus superbiret. Et haec quidem, ut supellectili sacrae candor aeque inesset, ac nitor. Ut vero ante Divinam Eucharistiam continue lampas lucesceret, negotium dederat constitutis ad id viris, ut sedulo providerent, ne ardens unquam flamma deficeret; quinimo aliquarum ipsa lampadum curam ad se avocaverat: ex quo factum est, ut intempesta nocte vigilem Imperatricem clam nonnulli intuentes, conspexerint, post aliquas ante Eucharistiam porrectas preces, ipsam regali manu oleum lampadibus infundere, vitrum tergere, ellychnium componere, ac demum scopis pavimentum everrere. Tunc scilicet Mulierem fortem dixeris quammaxime se probasse, cum operata consilio manuum suarum, Regiam atque Imperialem Majestatem longe infra Divinam esse, & sentiret, & demonstraret. Processioni Corporis Christi, in qua Divinum Sacramentum per vias, & loca publica circumfertur, reverenter intererat pedes, cereum accensum manu praeferens; nec solemniori dumtaxat ejus diei Processioni, sed omnibus, quotquot per Octavam circumlato Sacramento Viennae instituebantur, supplicationibus aderat, nunquam patiens, aut caeteros exemplo suo destitui, aut se tantorum bonorum communione fraudari. Habent Ecclesiarum Praesides in Principe Foemina omnium maxima, quod admirentur, habent quod imitentur. Non pigeat Episcopos, & Parochos eo contendere, quo sancte praeivit Augusta. Vid. Ceva *in Vita cap. 21.*



PARS

PARS SECUNDA

DE IIS QUÆ AD CULTUM EUCHARISTIÆ DE PRÆCEPTO VITANDA SUNT.

12. Casus est. Parochus cum viderit aliquos obloquentes in Ecclesia coram SS. Sacramento publicæ venerationi exposito, acriter eos, ac paterne correxit, enuncians,ipsos reos fore culpæ mortalis, si ita obloqui pergerent: qua correctione illi perterriti, sicuti a locutione tunc abstinuerunt, ita deinde Theologum interrogarunt, an vere sit reus culpæ mortalis, qui confabulatur in Ecclesia coram SS. Sacramento venerationi exposito de rebus indifferentibus? Quæritur proinde, quid respondendum sit?

13. Pro resolutione adducam primo rationes pro parte negativa; deinde proferam, quid sentiendum sit; postremo rationibus adductis satisfaciam. Et primo quidem videtur,quod confabulari in Ecclesia coram SS. Sacramento &c. de rebus indifferentibus non sit peccatum mortale. Ratio est I. quia peccatum mortale non est asserendum sine gravi causa:unde Gabriel *in 4.dist.5.art.2.*sapienter monet,quod *Theologi non debent esse faciles ad asserendum,aliquas actiones, vel omissiones,esse peccata mortalia*:imo S.Thomas *quodlib.9. q.7.art.5.* ita pronunciat:*Periculose determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur*: præsertim cum tritum sit apud Doctores axioma: *quod nulla lege statuitur, id nos asserere non debemus*: *ex Can. Legatur 24. q.2. & Cap.2. de transf.Episcop.* cum autem nulla lex sub gravi culpa vetet confabulationes ejusmodi coram Sanctissimo, nec expressa veritas habeatur affirmandi, tales confabulationes esse peccatum mortale, sequitur, illas non esse peccatum mortale.

14. II. Quia, sicuti ratio blasphemiæ, ex Sanchez *l.1.mor.c.32.* ita ratio irreverentiæ non est tam desumenda ex natura actionis secundum se sumptæ, quam ex respectu ad judicium commune hominum interpretantium, vel non interpretantium, hic & nunc Deum vilipendi, vel gravi contumelia affici: cum autem actio confabulandi nec secundum judicium commune hominum habeat esse quid graviter irreverens, & contumeliosum Deo, sequitur, quod non sit graviter peccaminosa: quinimo ex consuetudine introducta confabulandi, cum homines communiter interpretentur, per eam actionem, nullam fieri irreverentiam, nullum fere ea actio erit peccatum.

15. III. Quia,si confabulari coram SS. Sacramento esset peccatum grave, multo magis tale esset, aliquid indecens per se agere circa hoc Sacramentum vel immediate, ut effundendo illud, aut projicendo in terram, vel mediate, ut immunde habendo vasa, aut vestes, & res alias ad cultum hujus Sacramenti deputatas; item possent peccati argui, qui accedunt ad illud suscipiendum accincti ense; item fœminæ, quæ ad Eucharistiam suscipiendam accedunt sumptuosis vestibus, ac parum ad modestiam compositis. Hæc autem non censentur esse peccata; tum quia lex prohibens effusionem &c. & immundi-

munditiam vestium &c. est lex dumtaxat pœnalis, imo ejus pœnæ non sunt fere in usu, neque incurruntur ex obligatione, donec a Superiore non imponantur, ut notat Suarez; tum quia Doctores, v. g. Diana *par.*3. *tit.*2. *resol.*30. *&c.* sequentes Joannem Sanchez, ajunt, esse decens, quod Equites Hierosolymitani, aliique ex Ordine Militari accedant ad Communionem cum armis ad latus accinctis; Tamburinus vero *in tract. de Eccl. præc. cap.*10. non audet condemnare peccati eas fœminas, si ea ornamenta in tali circumstantia adhibeant absque ullo fine pravo, sed more patriæ &c.

16. Nihilominus dicendum est cum distinctione. Vel enim talis confabulatio de rebus indifferentibus coram SS. Sacramento fit ex directa ac formali intentione irreverentiæ, & ad significandum, non oportere differentiam facere inter talem circumstantiam, & aliam quamcumque communem: vel fit quasi materiali voluntate, ut sic dicam, volendo scilicet illam confabulationem, & consequenter, per se loquendo, ac seclusa ignorantia, vel alia causa excusante, volendo quidquid est connexum cum tali confabulatione, licet id directe non intendatur.

17. Hac distinctione præmissa, dico I. Confabulatio coram SS. Sacramento facta primo modo, ex tali directa intentione est intrinsece mala, & est culpa mortalis, ac gravissima. Ita Suarez *tom.*1. *de Relig.lib.*3. *cap.*1. & comm. Ratio est; quia, quod procedit vel ex contemptu, vel ex odio ipsius Dei, est peccatum semper gravissimum: cum autem talis confabulatio, facta ex tali directa intentione, procederet ex contemptu Dei latentis in Sacramento, sequitur &c. Hinc S.Thomas gravius atque enormius judicat peccatum illius qui projiceret hoc Sacramentum in lutum, quam illius qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit: & rationem dat 3.*p. q.*80. *art.*5. quia ille hoc faceret ex intentione injuriam faciendi huic Sacramento, quod non intendit peccator indigne Corpus Christi accipiens.

18. Dico II. Confabulatio facta secundo modo, & sine necessitate coram Sanctissimo Sacramento, est peccatum, & habet malitiam sacrilegii: non est tamen hæc malitia semper mortalis, sed potius frequenter est venialis, nisi specialis prohibitio Ecclesiæ interveniat, & nisi sit tam longa confabulatio, tam audax, tam strepitosa, ut prudenti judicio gravem injuriam Sacramenti continere censeatur. Ita colligitur ex Suarez *tom.*1. *l.*3. *de Relig. cap.*7.

19. Probo I. esse peccatum; nam talis actus licet de se non sit malus, nec sit specialiter prohibitus fieri coram Sanctissimo ex jure positivo (in jure enim solum reperio prohibitiones generales confabulandi in loco sacro, quæ an sint veræ, & rigorosæ prohibitiones pro omni circumstantia, infra attingam *num.*25.), tamen factus ex voluntate, & sine necessitate coram illo, continet virtualem contemptum illius, ut infra ostendam *n.*22. & ideo non sit sine ejus irreverentia; unde ex natura rei, & independenter ab intentione operantis, atque a prohibitione positiva Ecclesiæ, talis confabulatio est peccatum: habet vero malitiam sacrilegii; siquidem omnis injuria, omnis irreverentia, omnis temeratio Sacramentorum, sacrilegium est, ex communi apud Lessium *l.*2. *de just. c.*45. *dub.*3.

20. Con-

20. Confirmatur I. ex auctoritate S. Thomæ *in 1. Corinth. 2. lect. 4.* exponentis verba: *Numquid domum non habetis ad manducandum?* ubi S. Doctor ait, non esse licitum, domum Dei, quæ est deputata sacris usibus, communibus usibus applicare; sentitque, ex natura rei, & ex ipso virtuali contemptu qui fit Ecclesiæ, esse illicitum, extra necessitatem, in eadem communes ejusmodi actiones etiamsi indifferentes exercere: ergo a fortiori erit illicitum easdem exercere in loco sacro coram SS. Sacramento: ac proinde peccatum erit confabulari &c. II. ex auctoritate Suarez *tom. 1. de Religione l. 3. c. 3.* ubi docet, quod *omnes actiones, quæ ex natura rei vel Divina Officia de se impediunt, vel habent indecentiam in Ecclesia, habent specialem malitiam sacrilegii, si in illa fiant*: ergo eamdem malitiam habebit confabulatio, si extra necessitatem fiat in Ecclesia coram Sanctissimo; imo potiori jure, propter circumstantiam præsentiæ tam venerabilis Sacramenti.

21. Supersunt duo enodanda ad plenam assertionis hujus probationem. I. Quare in confabulatione sic facta contineatur virtualis contemptus? II. Quare talis contemptus in eadem non reperiatur, si fiat ex necessitate? R. ad I. rationem esse; quia, quando actus aliquis de se non malus, tamen improportionatus non solum negative, sed positive, & contrarie dignitati ac reverentiæ debitæ alicui loco, vel personæ, fit coram ipsa, aut in ipso, nulla urgente necessitate, tunc, juxta naturale ac prudens judicium, detegitur in tali actu quidam contemptus talis personæ, aut loci. Constat hoc ex illo Sancti Pauli *1. ad Cor. c. 11. Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* ubi Sanctus Thomas ait: *Contemnebant, dum, præsente conventu Fidelium, in loco sacro convivia celebrabant.* Expendas hic, convivia, & confabulationes, esse quid indifferens, & differre inter se, secundum plus, & minus: unde &c. R. ad II. rationem esse; quia, interveniente necessitate, cessat juxta naturale ac prudens judicium contemptus, & irreverentia; siquidem quod fit ex necessitate, non censetur moraliter fieri ex irreverentia: sicuti David licuit comedere panes sanctos propter necessitatem; quod sine illa non liceret, etiam ex natura rei, supposita sanctificatione talium panum.

22. Probo jam II. partem assertionis, nempe tale peccatum frequenter esse veniale, nec habere malitiam gravem sacrilegii, nisi &c. Nam toties sacrilegium in sua ratione non est peccatum grave, quoties vel materia est parva, vel opus, quod fit, non habet specialem repugnantiam, sed solum generalem cum sanctitate loci, & temporis, & personæ &c. vel fit ex quadam non crassa inadvertentia, & inconsideratione. Ita ex Lessio *de just. lib. 4. cap. 45. dub. 4.* Cum autem frequenter contingat, quod talis confabulatio vel sit brevis, nec valde strepitosa, vel fiat ex quadam non crassa inadvertentia &c. & ipsa de se non habet specialem repugnantiam, sed solum generalem cum reverentia debita tanto Sacramento, sequitur, quod frequenter tale peccatum confabulandi de rebus indifferentibus in Ecclesia coram SS. Sacramento, sit dumtaxat veniale, & habeat venialem malitiam sacrilegii.

23. Advertas tamen illas particulas, nisi &c. nam, si adsit speciale præceptum Ecclesiæ, constitutum v. g. in aliqua diœcesana Synodo, specialiter

vetans ejusinodi confabulationes, tunc facilius poterit esse sacrilegium grave confabulatio coram Eucharistia, facta sine necessitate, etiamsi fuerit brevis. Ratio est; quia tunc licet materia, nude sumpta, sit levis, tamen ex gravitate finis a legislatore intenti poterit esse gravis, ex Suarez *to.5. de cens. disp.4. sect.6.* quamvis non facile damnandos judicem de peccato gravi transgredientes rem de se levem; tum quia illi non raro ignorant, vel etiam credunt, finem intentum a superiore non esse magni momenti; tum quia ejusmodi præcepta gravia de rebus secundum se levibus nonnulli Doctores putant esse tantum comminatoria, ut videre est apud Layman *de leg.c.14.*

24. Item, si confabulatio sit longa, & strepitosa taliter, ut prudenti judicio censeatur continere gravem injuriam Sacramenti, tunc certe erit sacrilegium grave, juxta dicta &c. Habebit etiam annexum peccatum scandali. Imo Suarez *t.1. de Rel. l.3. cap.6.* putat, tunc directe committi irreligiositatem aliam distinctam a sacrilegio, & ejusdem rationis cum ea, qua Christus Dominus in se ipso offenderetur; concomitanter vero committi sacrilegium: quamvis non recedendum censeam a communi sententia docente, irreverentiam factam Eucharistiæ, non habere speciem irreligiositatis, sed esse proprie sacrilegium, ex Cajet. 2. 2. *qu.99. art.1.* Less. *lib.2. de just. cap.45. dub.3.* aliisque; tametsi illud sacrilegium sit in suo genere omnium gravissimum, ex Castrop. *t.3. disp.2. de Sacril.* Hinc venerabilis Dei Servus Fr. Joseph a S. Maria de Sebastianis ex Ordine Carmelitarum discalceatorum, Episcopus Typhernas, cum quasdam nobiles fœminas obloquentes viderit ante Divinam Eucharistiam publicæ venerationi expositam, acriter e solio Pontificio eas reprehendit: cumque illæ vel contumaciter in incepto persisterent, vel non statim dicto audientes fuerint, integerrimus ac zelantissimus Pastor pro imperio mandavit, ne impertiretur populo innumerabili a Sacerdote, augustissimum Sacramentum attollente, pax & venia, sed confestim in tabernaculo Divina Eucharistia clauderetur, ut ea justæ indignationis specie, quantæ esset in Deum offensæ ejusmodi irreverentia, patefieret, ut *in ejus Vit. l.4. c.4.* Unde pronum est conjectura assequi, quam grave peccatum sit confabulationes illas coram Venerabili habere, quæ sint fœdæ, turpes, & inhonestæ. Has profecto non solum coram Eucharistia, sed in Templo quocumque prohibent specialiter sacræ leges *in Cap. Decet, de imm. Eccl. in 6.* ubi habetur: *Cessent vana, & fortius fœda, & profana colloquia, cessent confabulationes quælibet*: ac propterea Suarez censet, tales confabulationes, seu prava colloquia habita in Ecclesia quacumque, non excusari a nova malitia gravi contra prohibitionem Pontificiam *in dict. Cap. Decet*; quia ejusmodi colloquia ibi cum exaggeratione prohibentur.

25. Dubitabis, an, sicuti confabulatio de rebus indifferentibus facta sine necessitate coram Eucharistia est peccatum, ut diximus, ita etiam sit peccatum confabulatio facta in quovis Templo sine tali circumstantia? R. talia colloquia non prohiberi jure positivo Ecclesiastico *in dict. Cap. Decet*, nisi habeantur illo tempore, quo Divinis Officiis attendendum est, vel quo alii ad hoc ibi assistunt, qui nostris confabulationibus impediuntur, ex Suarez *l.3. de Relig. cap.6.*

cap.6. Unde colloquia facta his temporibus, erunt peccatum contra jus non solum naturale, sed etiam positivum: & quidem, si fuerint tantum otiosa, erunt solum veniale, etiam prout sunt contra jus positivum. At vero extra hæc tempora erunt peccatum solum, quando ratio naturalis dictaverit, ea hic & nunc dedecere, vel non dedecere reverentiam debitam Ecclesiæ, nisi aliunde, v. g. ex otiositate, habeant malitiam. Admittimus autem, dari casum, quo recta ratio dictet, colloquia indifferentia nullatenus dedecere locum sacrum; quia non tenemur semper esse in Templo, & uti illo ut Templum est, ex Suarez *loc.cit.* & Castropalao *de rever. loc.sac. disp.un. p.4.* Contendimus vero, quod ejusmodi colloquia, juxta naturalem rationem, semper extra necessitatem dedeceant reverentiam debitam Eucharistiæ expositæ venerationi publicæ; siquidem illa ad finem venerationis exposita est; hæc vero colloquia & sunt improportionata, & de se impeditiva venerationis: ideoque illa habere, est quidam virtualis Eucharistiæ contemptus, juxta dicta; ac propterea est, juxta pariter dicta, peccatum habere talia colloquia in tali circumstantia.

26. III. Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Non obstat prima: siquidem verum quidem est, non esse asserendum peccatum sine gravi causa, & sine lege; at in casu adest lex, & consequenter adest ratio illud asserendi: nam lex naturalis dictat, supposita veritate hujus Sacramenti, & supposito fine venerationis, ad quam illud exponitur, ne fiat aliqua actio improportionata, & de se impeditiva venerationis debitæ, sine necessitate; quæ quidem actio si fiat, erit irreverentia in rem sacratissimam, & consequenter peccatum in specie sacrilegii: non semper tamen erit peccatum grave; nam peccatum sacrilegii est quidem ex genere suo mortale, quia excellenti virtuti opponitur, qualis est religio; per accidens tamen est veniale in multis casibus, si non committatur ex formali contemptu rei sacræ, in quo casu semper est mortale. Ita Valentia *2.2.disp.6.* Lessius *l.2. de just. cap.45. dub.4.* Castropalaus, Bonacina, aliique communiter.

27. Non obstat secunda: nam irreverentia dicitur inesse alicui actioni ex triplici præsertim capite: 1. ex eo quod sit prohibita a lege ex intentione conservandi debitum cultum ac venerationem rei sacræ: 2. ex eo quod homines interpretentur, exercitium ejusmodi actionis fieri ex quodam contemptu: 3. ex eo quod talis actio ex natura sua repugnet reverentiæ debitæ rei sacræ. Ita Gobat *tract.4. cas.23.* Jam vero confabulatio de rebus indifferentibus esto de se non repugnet reverentiæ debitæ Sacramento, tamen, cum aliquando prohibita sit a lege ex intentione conservandi debitum cultum rei sacræ, ut constat *ex Cap. Decet, de imm. in 6.* cum homines interpretentur, ejusmodi colloquia fieri ex quodam contemptu, seu vilipensione, ut constat ex lege urbanitatis, & consuetudine introducta apud cultos viros in circumstantia exhibendi adorationem, aut venerationem Regi, sequitur, quod ejusmodi confabulationi insit irreverentia; quæ quidem, cum sit circa rem gravem, est de se gravis. Neque valet effugium, quod nunc ex consuetudine confabulandi non censeatur amplius irreverentia confabulari; nam talis

talis consuetudo improbatur a majori ac saniori hominum parte ut manifestus abusus. Dixi, esto de se non repugnet reverentiæ debitæ Sacramento; nam id facile non concesserim: siquidem confabulatio de rebus indifferentibus, licet nude accepta non sit mala, est tamen improportionata venerationi in tali circumstantia exhibendæ Sacramento; & consequenter, si fiat in tali circumstantia sine necessitate, sapit contemptum: unde ut circumvestita talibus circumstantiis, est de se repugnans reverentiæ debitæ Sacramento:

28. Non obstat tertia: nam actiones indecentes per se, utique sunt peccatum, si mediate, vel immediate exerceantur circa hoc Sacramentum. Sic peccatum est indigne ad ipsius sumptionem accedere: item illud aliis sumendum ministrare sine lumine accenso: nam licet contrarium doceat Diana *p.*10. *tract.*16. *resol.*80. tamen jure contradicit Henao *de Eucharistia*, quando scilicet lumen omittitur ex culpabili negligentia, ac voluntarie, extra casum urgentis necessitatis; siquidem, si gravis est obligatio, inquit Henao, ne desit lumen coram Eucharistia, cur eadem obligatio non erit, cum ea ministratur, quippe militat potior, vel par ratio? Item peccatum est omittere deglutire Eucharistiam a Sacerdote acceptam, vel id differre ad tempus, quo suscipiens sit extra Ecclesiam, ut docet idem Henao *dis.*16. *de Eucharistia*. Item, ne peccetur, Eucharistia, quæ conservatur pro infirmis, non debet servari per multum tempus, sed ad summum per 15. dies, ex Innocentio IV. *Constit.*14. *Sub Catholicæ*. Clemens autem VIII. statuit, renovandam eam esse singulis Dominicis, *Constit.*34. *Sanctissimus*. Ad casus vero particulares in objectione allatos respondeo, & dico, me nolle quidem de iis loqui, quæ ad usum Eucharistiæ pertinent: sed, quoniam aliqui ejusmodi casus in objectione attinguntur, eos etiam enodabo.

29. I. Si quis negligenter effundat Sanguinem Christi (non est enim dubium, quod qui de industria id faceret, gravissime peccaret), non facile excusatur ab aliqua culpa saltem veniali pro gravitate negligentiæ. Quamvis vero pœnæ contra tales negligentes statutæ *in Can. Si per negligentiam, de Consecr. dist.*2. non sint latæ, sed ferendæ sententiæ, & jam per consuetudinem reservatum sit Ordinario ejusmodi negligentes punire; neque illi, donec pœna non imponatur, ullam subire pœnam teneantur, nisi ad satisfaciendum Deo pro qualitate culpæ, ut notant Suarez, & Castropalaus ex communi: tamen non inde fit, quod per se peccatum non sit negligentiam in re tanta exercere. Etenim, præscindendo a gravissima quæstione inter Canonistas, an leges pœnales obligent in conscientia? certum est, adesse legem naturalem id prohibentem supposita institutione Sacramenti, ut videre est apud Suarez *tom.*1. *de Rel. lib.*3.

30. II. Vestes sacras immundas ac sordidas ad usum & ministerium Eucharistiæ tenere, vetitum est pluribus Ecclesiasticis legibus; unde Gobattus ex Jordano, aliisque ait: *Qui præsunt Sacristiæ, graviter peccant, si eorum culpa fiat, ut vestes & paramenta*, ad usum & ministerium Eucharistiæ, *sint valde immunda*. Quando vero ea immunditics tam notabilis sit, ut respectu ta-

talium officialium sit materia peccati gravis, non potest facile decerni, sed relinquendum est prudenti judicio. Certe ex Concilio Rhemensi apud Suarez habetur, quod *Altaria, in quibus Corpus Dominicum conservatur, Sanguisque ejus hauritur, mundissimis linteis, ac pallis sunt cooperienda. In Cap.* autem *Relinqui, de custod. Euchar.* Innocentius III. præcipit, ut Oratoria, Vasa, Corporalia, & vestimenta prædicta munda & nitida conserventur, subdens rationem: *Nimis enim*, inquit, *videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis*. Hinc Ecclesiarum Pastores in lustrando diœcesim id potissimum observare solent, an ea qua par est munditie supellex sacra custodiatur; qua in re, sicut cæteris piis in rebus, præclarissima olim dedit exempla Eminentissimus Cardinalis Ursinus, deinde Benedictus XIII. P. M. is enim suis etiam impensis curavit, ut nitor ac munditíes in omnibus Beneventani Archiepiscopatus Ecclesiis quammaxime elucceret.

31. III. Qui accedunt ad sumptionem Eucharistiæ accincti ense, quamvis excusentur, per se loquendo, a peccato, juxta Tamburinum *cap.* 10. *de Eccl. præcept.* tamen idem Auctor ibidem putat, vix fieri posse id sine peccato scandali in aliquibus regionibus; unde juxta hunc Auctorem alicubi per accidens vix eximuntur iidem a culpa: imo quamvis Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 30. & Sanchez censeant esse decens, quod Equites S. Joannis, S. Jacobi &c. accedant ad sacram mensam accincti ense, quia arma sunt ejusmodi Ordinum insignia ad pugnandum contra infideles, tamen hæc decentia a Tamburino tunc solum admittitur, quando tales Equites publice in proprio Ordinis habitu ut tales communicant, non vero quando communicant ut privati juxta morem aliorum nobilium: ex quo inferes, ex hoc casu nihil esse contra nos.

32. IV. Mulieres, quæ ad sacram Eucharistiam accedunt ornatu tali, qui sit juxta qualitatem personæ, & juxta communem modestum usum, etsi melius facerent accedendo ornatu dimissiori, tamen ex hoc præcise capite non videntur peccati damnandæ: at, si accedant ornatu superfluo, & multo magis si accedant ornatu immodesto, non facile possunt a peccato excusari, etiam ratione irreverentiæ, quæ fit Christo Domino; nam ornatus superfluus in mulieribus non excusatur saltem a veniali, ut docent Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 6. Castropalaus *tom.* 1 *tract.* 6. *disp.* 6. *p.* 7. Navarrus, Bonacina, aliique: ornatus vero immodestus difficile vacat culpa gravi scandali. Cum autem fiat irreverentia Christo Domino, si quis ad eum accedat actualiter peccando sive venialiter, sive mortaliter, hinc est, quod tales mulieres peccant etiam ratione irreverentiæ, si accedant ornatu vel superfluo, vel immodesto. Neque contrarium censet Tamburinus; nam ipse eas excusat a peccato, quando talis ornatus sit modestus, & quando sit juxta earum statum ac qualitatem, & consequenter non sit superfluus: unde ipse omnino est in nostra sententia, ut legenti patet. Hinc sæpius Romæ plures Summi Pontifices, & præsertim Venerabilis Dei Servus Innocentius XI. mandarunt Sacer-

Sacerdotibus, ne Panem Angelorum darent mulieribus ad sacram mensam accedentibus cum tali vel superfluo, vel immodesto ornamento &c.

33. Ad calcem nota, confabulationes summopere vitandas esse etiam in Processionibus Corporis Christi, quæ modestiam, ac decorum ita exigunt, ut in statu, in incessu, & in toto corporis habitu Christiana pietas, ac fides elucescat. Absint hinc tumultus, contentiones, cæteraque dedecentia illos, *qui sequuntur Agnum quocumque ierit*. Insigne hac in re documentum reliquit spectatissimus Galliæ Dynastes Anna Franciscus de Bobò, qui deinde Societati Jesu nomen dedit. Is quippe in gentilitio suæ familiæ oppido Supplicationi Corporis Christi cum interesset, a trepido repente nuncio cognovit, hostes cuncta miscere, & evertere, pecora abigere, agros depopulari. His auditis, ille pauca in rem præsentem mandans, cavit diligentissime, ne rumor hujusmodi spargeretur, & ne perturbatio Fidelium deducentium Eucharistiam pium agmen dissolveret. Meminerat nimirum, has Processiones ea dignitate esse peragendas, ut in iis victrix veritas de mendacio, & hæresi triumphum agat: Trident. *sess.13. cap.5. de Euchar.* Meminerat, nihil esse in iis attentandum, quod vel Eucharistiæ debitam reverentiam impediat, vel supplicantium pietatem perturbet. Cujus rei argumento sit, non deesse Auctores, qui putent, nefas esse reos illos detineri, seu ad carceres duci, qui cum aliis Processioni se immiscent, & per viam Sacramentum associant. Ita Tancredi, Felix Potestas *num.623. de Imm.* aliique. Quamquam id in jure cum non habeatur, spectanda est consuetudo, quæ merito potuit introduci. Ita Castropalaus *disp. un. p.6.* Suarez *t.1. de Rel. lib.3. c.9.*

34. Ex quibus omnibus satis, ut arbitror, evincitur veritas assertionis, ac resolutionis positæ: simulque apparent graviora, aut frequentius contingentia, quæ ad cultum Eucharistiæ de præcepto vitanda sunt. Illud ad extremum non prætermittam, tanti esse, ac fieri reverentiam erga Divinum Sacramentum, ut, si timor prudens adsit alicujus irreverentiæ circa ipsum, vel quia Sacramentum in manus infidelium timeatur adventurum, vel quia ab animali, aut igne consumendum, vel ab aliquo alio irreverenter tractandum sit, possit non solum Sacerdos, sed etiam, eo deficiente, laicus non jejunus illud sibi propriis manibus ministrare. Sic ex communi docent Vasquez *disp.211. a.15.* Layman *l.5. Summæ tr.4. cap.6. &c.*



PARS

PARS TERTIA

DE IIS QUÆ AD CULTUM EUCHARISTIÆ DE CONSILIO SERVANDA, VITANDAVE SUNT.

35. Aliqua dumtaxat persequar; nam de consilio, optima quæque, exquisitissima, & innumera prorsus servanda essent ad cultum Eucharistiæ, nec tamen debito satisfieret: unde rite canit Ecclesia: *Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude, nec laudare sufficis*. Dico igitur I. Consilium pium est, ut unusquisque curet, quoad fieri potest, ne dies sibi elabatur, quo Divinam Eucharistiam in Ecclesia non adoraverit: nam, si Regina Saba a remotis partibus venit Hierosolymam, ut Regem Salomonem cognosceret, & honoraret; quanto magis debemus nos Ecclesiam aliquam adire, ut ibi latentem Servatorem ac Dominum veneremur? Nonne *plusquam Salomon hic*? Certe id gratissimum esse Christo Domino, constat ex Vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, cui ipse Dominus præcepit, ut per triginta vices in singulos dies Sacramentum in Ecclesia adoraret. Accedit huc honestas magna hujus actionis: nam si Rex aliquis clementissimus ac beneficentissimus se suis subditis sisteret, ut ab iis honoraretur, & in publica, ac maxima Regalis sui Palatii aula debitum honoris vectigal ab iisdem expectaret, quis, rogo, esset tam inurbanus, ut officium hoc declinaret? quis unquam suas esse partes non intelligeret, eo se conferre semel, iterum, ac tertio, dummodo libere pateret aditus, ut Regem omni prorsus observantiæ genere prosequeretur? Atqui plane sumus in casu. Adest nempe in Ecclesia Christus Dominus Reparator optimus, idem qui pro nobis Hierosolymis passus est, idem qui factus est pro nobis obediens usque ad mortem, idem qui interpellat pro nobis ad Patrem; & quisquam erit, qui solum illum relinquat, ac plures elabi dies permittat, quibus eum non visitet atque adoret? Refert Historia Vitæ Joannis de Avila *cap.* 15. quemdam ex ipsius discipulis dixisse sapientissimo Doctori: *Utinam nobis liceret vivere, ac mori in Palæstina, ubi tot insignia extant monumenta vitæ, ac passionis Christi Domini!* Cui pius Doctor opportune reposuit: *Numquid non habemus apud nos Sanctissimum Sacramentum? Equidem hujus cum recordor, nihil aliud prorsus desidero*. Et sane non est, cur desideremus locum, aut tempora; cum in nostra urbe, & nostris temporibus Christum habeamus, quem præsentem adoremus, quem præsentem alloquamur, & a quo abundantioris gratiæ divitias reportemus. Hæc siquidem est tertia ratio, cur tantum Sacramentum semel in die saltem veneremur, nempe utilitas, quæ inde in nos derivatur; quæ quidem tanta est, quanta esse dicitur accedenti cum fiducia ad thronum gratiæ. Propterea Sancti Dei in id quammaxime incubuere, ut frequenter, quoad fieri posset, huic Divino Sacramento venerabundos se sisterent. S. Thomas Aquinas, plurimis licet distentus studiorum occupationibus, quinquies in die Eccle-

ſiam adibat, ut Euchariſtiam coleret. S. Franciſcus Borgia quotidianæ hujus Sacramenti adorationi adeo erat deditus, ut illud ubi aſſervaretur, inſtinctu cœleſti ſentiret. Venerabilis P. Ludovicus de Ponte Societatis Jeſu non ſolum magnam diei partem, ſed integras interdum noctes vigil, & orans apud SS. Sacramentum agebat; atque hinc, opinor, eas mentis illuſtrationes impetravit, quibus cœleſtis ſapientiæ refertiſſimos libros edidit, & abſolutiſſimæ virtutis exempla reliquit. Utinam Sanctos hos Viros, alioſque imitemur in cultu venerabilis Sacramenti!

36. Præterea opportuniſſimum eſt, ut quando caſu aliquo graviter affligimur, quando injuriæ nobis irrogantur, non ſtatim ab amicis levamen efflagitemus, aut de illatis injuriis apud illos conqueramur; nam, juxta S. Franciſci Saleſii ſententiam *l. 3. Introd. cap. 3. certum eſt, utplurimum peccare eum, qui de injuriis conqueritur*: ſed illico ad Sanctiſſimum Sacramentum confugiamus, & ab eodem conſilium, vires, atque opem imploremus, juxta Domini vocem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*: enimvero benigniſſimus ipſe Dominus nos reficiet, ipſe dabit auxilium in tempore opportuno. Locupletiſſimum hac in re teſtimonium refert S. Gregorius Nazianzenus *in Orat. 11. in laudem S. Gorgoniæ*. Hujus S. Doctoris ipſiſſima verba exſcribam: *Adverſa corporis valetudine tenebatur* (ſoror videlicet Gorgonia), *graviterque laborabat, eratque inſolens quoddam & prodigioſum morbi genus &c. Deſperatis omnibus auxiliis, ad mortalium omnium Medicum confugit, atque intempeſta nocte captata, cum morbus nonnihil remiſiſſet, ad Altare cum fide procumbit, eumque, qui ſuper ipſo honoratur, cum ingenti clamore invocans, omnibuſque nominibus appellans, atque omnia ea, quæ unquam Dominus mirifice geſſerat, velut in memoriam ei revocans, tandem pia & præclara quadam impudentia effertur: eam, quæ Chriſti fimbria ſanguinis profluvium compreſſerat, imitatur: quidque fecerit, audite. Cum caput ſuum pari cum clamore, lacrymiſque (mulierculæ illius inſtar, quæ olim Chriſti pedes rigavit) Altari admoviſſet, nec ſe prius illud dimiſſuram eſſe denunciaſſet, quam ſanitatem obtinuiſſet &c. o rem admirandam! ſtatim liberatam ſe morbo ſentit, & corpore, & animo, & mente levis diſcedit, pro ſpei mercede id quod ſperaverat conſecuta, & per animæ robur, corporis robur accipiens.*

37. Dico II. Optimum conſilium eſt, ut omnes, ac præſertim e primaria nobilitate viri, Divinum Sacramentum comitentur, quando ipſum ad infirmos defertur. Decet enim quammaxime nobiles viros, qui a Deo inter cæteros peculiari beneficentia diſtincti ſunt, ſingulari erga ipſum Deum obſervantia & reverentia excellere; præſertim cum eorum pia facta plurimum valeant ad excitandam in plebe pietatem ac devotionem. Reges ipſi profecto, ac ſpecialiter Auſtriaci, ſæpius exemplo, ac legibus conſilium hujuſmodi firmarunt. Summi Pontifices divitias ingentes ex Eccleſiæ theſauro erogarunt, ut omnes ad idem factitandum ſuaviter impellerent, quos inter noviſſime Innocentius XII. conceſsit Indulgentiam 5. annorum, & 5. quadragena-

genarum comitantibus Sacrum Viaticum: sex vero, si cum luminaribus id præitetur. Deus autem tam gratum id sibi esse non semel ostendit, ut Rodulpho Austriaco, atque Augustissimæ ejusdem Genti collatum idcirco Imperiale Diadema a Datore bonorum omnium, jure quamplures censeant ac referant Historici. Imo, ut credere est, miraculo celeberrimo olim Deus testatus est, quam grata sibi esset hæc observantia. Nam Ulysippone in Lusitaniæ principe civitate canis quidam, ac si esset ratione præditus, semper Divinum Sacramentum comitabatur, quoties ipsum ad infirmos deferretur; si forte, dato æris campani signo, clausum domus ostium reperiret, tandiu dominum urgebat, donec exeundi, ac suo muneri satisfaciendi copia fieret; si vero non ita recte riteque esset Processio disposita, ipse huc illuc discurrens videbatur eniti, ut ad justi ordinis normam componeretur: si tandem quem vidisset tunc temporis aut oscitantem, aut dormientem, aut equitantem, ipse hominem aggrediebatur, ac latratibus eumdem compellebat ad debitam Sacramento reverentiam exhibendam: nec ulla unquam vi, aut ratione a tam pio officio deduci, aut impediri potuit. Vide Jo: Eusebium *l.9. cap.94. Histor. natur.* Homines ab ipsis brutis officium discant.

38. Dico III. Consilium etiam est 1.ne mulierculis detur eleemosyna cum hoc onere, ut pro hoc, vel illo communicent. Nam, omissa quæstione, an Communio utiliter applicetur sive pro vivis, sive pro defunctis, de qua late Raynaudus *in Opusc.* & in qua certum videtur, Communionem, ut est opus operatum, non posse pro aliis cum eorum utilitate applicari; posse tamen, ut est opus operantis: omissa, inquam, hac quæstione, erogatio ita oneratæ eleemosynæ non raro fovet mulierculárum vanitatem, quæ in Sanctarum numero sic putant se haberi: fovet earumdem pigritiem, quæ a domesticis debitis laboribus abstinent, cum majus e re sacra lucrum se reportare cognoscant: demum exponit periculo irreverentiæ Divinum Sacramentum, quippe vel indispositæ, vel exigua prorsus dispositione, ejusmodi mulierculæ non raro accedunt ad sacram mensam, ut eleemosynæ lucrum faciant. Propterea auctor omnibus sum, ut fiat quidem eleemosyna ejusmodi mulierculis, sed sine tali onere. Idem prorsus censet Calinus *in cap.7. l.1. Reg.* & merito. 2.Viderint illi, ad quos spectat, ac serio considerent, an expediat frequens admodum Divinæ Eucharistiæ expositio, præsertim tenui apparatu, ac raris luminibus. Certe Raynaudus *tom.15.* ait, *posita ea frequentia exponendi Divinam Eucharistiam, non modo timendum esse, ne mortales obvia quæque fastidire soliti, tantum Sacramentum minoris æstiment; sed etiam ne in gravi quapiam, & insolita occasione, deficiat modus permovendi populum, ac excitandi ad sensum pietatis necessitati congruentem, v. gr. si ingruat pestis, aut incursus hostium, nihil habet Ecclesia aptius ad plebem fidelem excitandam, quam sacrum spectaculum Corporis Christi propalam exhibiti &c. At hoc ipsum augustissimum spectaculum, si frequens sit, & passim exhibeatur, minus movet, quia ab assuetis non fit passio.* Hactenus citatus Auctor. Equidem censeo exponendam Divinam Eucharistiam eo luminum numero,

 quem

quem præscribunt Decreta Congregationis; præterea eo apparatu, & assistentium Clericorum cultu, qui tantam decet Majestatem: si autem alicubi id fieri nequeat, fortasse magis erit expediens, ne ibi publice exponatur. Vide Pacem Jordan. *tom.1.lib.3.tit.3. de Euchar.* & Romanas Ordinationes *in Instructione Orationis* 40. *horarum*. Profecto cum Romæ *anno* 1593. sub Clemente VIII. vel initium, vel incrementum habuerit Oratio 40. horarum ante expositum Divinum Sacramentum, precandi constantia, modestia, silentium, ac teneræ pietatis ardor in omnium extans ore, satis indicarunt, quam vim habeat luminum, ornamentorum, & apparatus species ad permovendos animos, atque ad fidem erga tantum Sacramentum excitandam: ex quo pronum est unicuique conjicere, ferventiori Eucharistiæ cultui non admodum consulere, qui raris ardentibus facibus, ac tenui ornamentorum, & apparatus dignitate, illam venerationi proponunt. Intellexit enimvero id spectatæ sanctitatis Fœmina B. Hyacintha de Mariscottis, Religiosa Professa S. Francisci, quæ Viterbii geniales ante quadragenarium jejunium dies ad pietatem ut componeret, dabat quidem operam, ut in variis ejus urbis Templis Sacramentum exponeretur, ea tamen magnificentia, ac tanta lampadum, cereorumque copia, viris piis impensam prolixe conferentibus, ut splendor ingens exquisitæ pompæ sacrum quemdam horrorem perfunderet, & hominum animos in Dei cogitationem, amoremque suavissime raperet. Ut vero obstrueretur os loquentium iniqua, confestim mirabili providentia apparuit, quantam inde iniverit ipsa apud Deum gratiam; nam quodam die oleum cum penitus defecisset, quo ardentes tot lychni flammam nutrirent, insperato subsidio præsenti egestati peropportune subventum est: siquidem ad crates accita præter expectationem Hyacintha, vas prægrande oleo plenum reperit, quo satis superque magnificentissimæ expositioni prospexit. Audiant hæc Ecclesiarum præsides, & meminerint, Deum, nullius egentem rei, voluisse propitiatorium de auro mundissimo, fortasse ut ipsi cognoscant, quam ingenti splendore velit, populo exhiberi illum, *quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius*: nec paupertatem excusent; nam Religiosa Fœmina erat pauperrima. Deinde arguet Augustinus per hæc verba: *Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus: nam, si inania quæramus, nihil sufficit*. Adde, quod apud omnes, sed præsertim apud Ecclesiarum præsides, pro comperto illud esse debet, nempe recipi cum fœnore quidquid in Deum erogatur.

39. Ad extremum vitandus est abusus, qui irrepsit apud nonnullos quo ad Benedictionem Sanctissimi; nam solliciti quidem sunt non pauci, ut Ecclesiam adeant ad recipiendam, ut aiunt, Sanctissimi Benedictionem, quæ nimirum brevi tempore absolvitur, id quod nihil, aut parum pœnalitatis importat: at nunquam ferme eosdem videris in Ecclesia prolixius orantes, vel pias cohortationes audientes, vel peccatorum sordes per Pœnitentiæ Sacramentum expiantes. Profecto laudandi sunt ejusmodi homines in eo, quod, Benedictioni Sacramenti dum intersunt, actum fidei, ac religionis exer-

cent;

cent; at reprehendendi sunt in eo, quod cætera Christianæ pietatis opera negligant, putentque, Deo satis & conscientiæ fecisse, variis cum interfuerint Benedictionibus, non intelligentes, quod, ut descendat super nos Benedictio Dei, debet a nobis ea conditio adimpleri, sub qua illam Israelitis promisit Moyses *Deuter.28.* nempe: *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata ejus &c. benedictus tu in civitate, & benedictus in agro &c.* Intelligant igitur universi, primum nobis incumbere custodire mandata Dei in purgandis animæ sordibus, in recipiendis Sacramentis, in addiscendis scitu necessariis ad salutem, in satisfaciendo per eleemosynam, & jejunium pro peccatis commissis, in orando Deum humiliter, ac perseveranter &c. Deinde, his rite peractis, descendet super nos Dei Benedictio, ad quam impetrandam plurimum sane valet precatio Sacerdotis attollentis Venerabile Sacramentum, ut constat ex eo, quod hæc sit in genere Sacramentalium, & ex eo quod Benedictio Sacerdotis novi Testamenti, juxta Cornelium a Lapide *in cap.6. Num.* efficaciam quamdam habeat: unde a Sanctis Patribus, & Anachoretis olim Christiani etiam Principes benedictionem postulabant, magnumque ejus fructum experiebantur, ex Cornelio a Lapide *ibidem*.

40. Dubitabit hic aliquis, an etiam cavendum sit, ne quis Benedictioni Sacramenti ex quadam solum consuetudine intersit, sicuti etiam ne quis ob consuetudinem solum illud visitet, vel suscipiat? ℟. Facere illa circa Sacramentum ob consuetudinem solum, dupliciter potest contingere: 1. excludendo positive alios fines, v.gr. si visitans Sacramentum, diceret: ideo hoc facio, ut meæ satisfaciam propensioni, non autem quia hoc est opus virtutis; imo non omitterem hoc facere, etiamsi id esset vitium, cum nihil aliud spectem, quam mihi indulgere: 2. habendo se negative circa alios fines, v. gr. si visitans Sacramentum, aggrediatur tale opus prompte ob consuetudinem, virtualiter dumtaxat, non autem actualiter reputans apud se reverentiam & cultum exhibendum Sacramento, quamvis a volitione talis reverentiæ, ac talis cultus ortum habuerit ea consuetudo. Jam vero, si commemorati actus exerceantur circa Sacramentum priori modo, utique erunt peccatum; & consequenter cavendum est, ne sic operemur ob consuetudinem: si autem exerceantur secundo modo, utique tales actus erunt laudabiles, quamvis laudabilius esset eos exercere ob reverentiam Sacramenti actualiter cognitam: consequenter cavendum erit a faciendo tales actus ob consuetudinem ea dumtaxat ratione, qua cavendum est, ne fiat opus bonum sine actuali devotione. Neque obstat, quod animarum moderatores reprehendant ejusmodi opera fieri ob consuetudinem; nam oportet eorum reprehensiones in sano sensu accipere: siquidem ipsi reprehendunt id tanquam quid minus perfectum, aut reprehendunt eos, qui talia peragunt cum voluntaria inconsideratione; non autem simpliciter reprehendunt eos, qui illa peragunt involuntaria inconsideratione ducti quodam habitu, & consuetudine idem peragendi. Et in hoc sano sensu intelligendus

est

est S. Chrysostomus reprehendens *hom.61.* suscipientes Eucharistiam ob consuetudinem, dicens: *Multos video Dominici Corporis participationem temere sumentes, ut a casu, & consuetudine potius, quam cogitatione & mente. O consuetudinem! O præsumptionem!* Et S. Bonaventura *de præp. ad Missam cap.* 8. *Vide quod desideres, ne propter vanam gloriam, aut consuetudinem accedas.* Ita Sanchez *de Sacram. disp.*24. Suarez *de Euchar. disp.*1. *sect.*4. *num.* 8.

41. Utinam hæc dixisse ad laudem & gloriam Sanctissimi Sacramenti, & ad animarum bonum, sit mihi meritum ad vitam æternam, & aliqua satisfactio pro irreverentia, qua toties ad Altare Dei Sacerdos indignus accessi!



DE

DE USU EUCHARISTIÆ,

SEU AN CREBRIUS, VEL RARIUS EA SIT DANDA LAICIS

OPUSCULUM II.

PARS PRIMA

QUALE SIT, ET QUID STATUAT DECRETUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM HAC DE RE EDITUM ANNO MDCLXXIX.

§. I.

1. Aro admodum contingit, ut fuccrefcente Domini meffe inimicus homo non fuperfeminet zizania. Hinc fuperioribus temporibus Divinæ Euchariftiæ ufus frequentior cum fuerit revocatus, eo proceffit nonnullorum tum nimius fervor, tum nimia frigiditas refpective, ut alii pro quotidiana danda laicis Communione mordicus ftantes, prudentiæ Chriftianæ, juftique temperamenti limites verbis ac re tranfiliverint; alii ex oppofito contrarium fentientes, dum adverfarios arguunt, a debitæ moderationis recto tramite aberraverint.

2. Et quidem, qui ftabant pro quotidiana Communione, verbis primo lapfi funt; etenim afferuerunt 1. Communionem quotidianam effe præceptam de jure Divino: 2. fufficere pro debita & congrua difpofitione ad talem quotidianam Divini cibi ufurpationem, effe in ftatu gratiæ, feu carere peccato mortali: 3. frequentem Confeffionem, & Communionem, etiam in his qui gentiliter vivunt, effe notam prædeftinationis: 4. non effe expectandum hac in parte judicium Confeffarii, fed eo ipfo quod abfolutionem a mortalibus obtinuerit, poffe quemlibet uti jure fuo, &, invito etiam ac diffuadente Confeffario, ad Communionem accedere.

3. Factis porro non minus imprudentibus iidem errarunt; nam 1. cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravi infirmitatis nota, fumebant Sacramentum Euchariftiæ: 2. Sacerdotes fæculares, aut Regulares deferebant ad privatas domos vel fecreto, vel argentea theca inclufum in crumena Divinum Sacramentum: 3. communicabant nonnulli feria 6. in Parafceve: 4. accipiebant in Communione plures Particulas, aut grandiores folito: 5. confitebantur peccata venialia fimplici Sacerdoti non approbato ab Epifcopo, vel Ordinario, fortaffe ut fcrupulofiores præmitterent hanc qualemcumque præpara-

parationem quotidianæ Communioni. Hucusque processerat discretionis fræno soluta devotio.

4. Qui autem nimium horum hominum fervorem improbabant, etiam ipsi medium non tenuere, sed a ratione verbis, ac factis aberrarunt: nam asseruerunt 1. quotidianam Communionem universim & absolute esse omnibus laicis interdicendam, præsertim vero negotiatoribus, & conjugatis: 2. statuendos esse certos dies, quibus generaliter singulis mensibus, aut hebdomadis percipienda esset a negotiatoribus sacra Eucharistia, vel ab eadem abstinendum: 3. non permittendum esse sacris Monialibus, ut quotidie cœlesti epulo se reficiant: 4. horum nonnulli, Bajanis erroribus adhærentes, censuere, arcendos esse a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers: demum, ut verbis facta responderent, variis impropriis modis repellebant Fideles a frequenti, & quotidiana Communione, v.g. nolendo eorum Confessiones audire, præcipiendo universim, ne ita fieret, notam temeritatis, ac levitatis illis inurendo &c.

§. II.

5. PRovide his malis, & contentionibus occurrerunt Ecclesiæ Pastores per sua decreta, & statuta, ac præsertim occurrit Summus Pastor Christi Vicarius, qui aliquas ex enumeratis assertionibus damnavit, uti præstiterunt Innocentius XI. *prop.56.* & Alexander VIII. *prop.23.* Insuper Sacra Cardinalium Congregatio *anno* 1587. decrevit, perniciosas esse prohibitiones generales de quotidiana Communione, & obstare decretum Tridentini Episcopo volenti præscribere certa tempora, ut dies Dominicos, IV. & VI. feriam, quibus tantum liceat viris laicis sanctissimam Eucharistiam sumere. Novissime vero, nempe *anno* 1679. eadem Sacra Congregatio, annuente Innocentio XI. edidit sapientissimum Decretum, quo coercuit tum nimium fervidos, tum nimium rigidos in ordine ad concedendam laicis Communionem quotidianam, & abusus, qui ex utraque diffidentium parte irrepserant, interdixit, atque ex se penitus per suam legem amovit.

6. Decretum itaque hoc, de quo meminimus, passim circumfertur impressum in recentioribus Moralistarum libris, ut apud la Croix *lib.6. part.1. num.653.* apud Vivam *in expos. prop.56. Innocentii XI.* apud Felicem Potestatem *in Tract. de Euchar.* & apud alios. Illud vero sane solideque explicat Cardenas *in sua prima Crisi part.3. disp.66. cap.1.* Equidem, ne longus sim, summam illius tradam duas in partes distributam: quarum altera exhibebit hujus decreti leges, quæ nimium rigidos, & desidentes a quotidiana Communione compescunt; altera præseferet leges, quibus nimium fervidi, & stantes pro quotidiana Communione, temperantur.

7. Et primum leges compescentes nimium rigidos sunt hujusmodi: 1. *Communionem quotidianam non esse universim prohibendam, imo usum quotidianum Divinæ Eucharistiæ ex se laudabilem esse, illumque, adhibito judicio ac prudentiæ temperamento, ubi viget, alendum.* 2. *Non esse generaliter statuen-*

tuendos dies in singulis hebdomadis, vel singulis mensibus, quibus dumtaxat liceat laicis negotiatoribus, vel conjugatis ad sacram mensam accedere: cujus rei optima innuitur ratio; quia nempe homines haud norunt conscientiarum recessus, ac dona gratiæ quibusdam personis collata, ob quæ alii frequentiori, alii minus frequenti Communione sunt reficiendi. 3.*Parochorum, & Confessariorum judicio relinquendum esse, ut ipsi, qui secreta cordium explorant, crebrius, aut rarius unumquemlibet ad Communionem admittant, prout in unoquolibet cognoverint conscientiæ puritatem, frequentiæ fructum, & ad pietatem processum*. 4.*Providendum esse a sacris Pastoribus, ut nemo a sacro convivio, sive frequenter, sive quotidie accesserit, repellatur*. 5.*Moniales petentes quotidianam Communionem, primum admonendas esse, ut diebus præscriptis a suo Instituto communicent, deinde permittendam Communionem quotidianam illis ex Monialibus, quæ fervore spiritus incaluerint, & quotidiana se dignas Communione præstiterint*. Hactenus leges compescentes nimium rigidos.

8. Leges temperantes nimium fervidos sunt subsequentes. 1.***Non esse universim Fidelibus omnibus præcipiendam quotidianam Communionem, nec generaliter statuendos dies, quibus laicis, præsertim negotiatoribus, sacra Communio permitti possit; cum neque Tridentinum hos dies præscripserit, & cum nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu possit constitui*. 2.*Redarguendos esse ab Episcopis, Parochis, seu Confessariis, asserentes, Communionem quotidianam esse de jure Divino*. 3.*Eucharistiam non esse deferendam ad infirmos, nisi cum forma decenti*. 4.*Servandum esse usum Ecclesiæ quo ad Communionem in feria VI. Parasceves*. 5.*Nemini tradendas esse plures Particulas, aut grandiores solito*. 6.*Non permittendum esse ab Ordinariis, ut Confessio venialium fiat simplici Sacerdoti, quinimo rigorose ab iis animadvertendum in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu***. Præterea ex illis verbis: *Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordium explorantium judicio est relinquendus*: antiquatur, juxta Cardenas *loc. cit.* assertio docens, non oportere, ut Fideles sequantur consilium Confessarii in frequenti sacræ Communionis usurpatione: nam revera vix proderit manna cœleste, si plus ex illo colligatur, quam sit mensura a Moyse præscripta.

§. III.

9. HIS igitur a Sacra Congregatione recte ac sapienter statutis legibus, aliqua sunt animadvertenda ab utraque diffidentium parte: quæ cum non animadvertantur, jam hi, jam illi perperam hoc decretum in rem suam trahunt. Animadvertendum igitur est 1. quod Sacra Congregatio permittens Confessariorum, ac Pastorum judicio determinare in unoquolibet Communionis frequentiam, summopere ab iisdem Confessariis, ac Pastoribus exigit dare operam, ut unusquisque digne ad sacram mensam accedat, ac præterea ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri & immaculati Agni susce-

ptione tollatur. Constat hoc ex verbis decreti, & præsertim ex illis: *Det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo, crebrius, aut rarius Dominici Corporis suavitatem degustet*. Ex quibus fit, quod, quamvis Sacra Congregatio nolit, quemquam sive a frequenti, sive a quotidiana Communione repelli, non tamen idcirco, si pro aliquo tempore, & in aliqua regione, ut bene docuit Dicastillo *disp.9. dub.18.* sequerentur turbationes, & scandala, seu oblocutiones populi contra eos, qui communicant quotidie, & inde etiam alii, quibus clare appareat id non expedire, occasionem sumerent similis frequentiæ; non, inquam, idcirco non posset Episcopus, vel ejus Vicarius admonere Confessarios, ut hortentur suos pœnitentes ad minorem frequentiam pro tali tempore, donec sensim vel in totum, vel ex parte cessent ea inconvenientia: hæc siquidem videtur mens Sacræ Congregationis, dum exigit, ut Pastores curent, ne irreverentiæ, & scandali suspicio resultet ex frequentatione hujus Divini mysterii.

10. Animadvertendum 2. quod dignitas, & reverentia, in unoquolibet requisita ad frequentandam quotidie Communionem, non resultat præcise ex statu gratiæ cum tenui quadam & superficiali devotione, ut probant de Lugo *disp.17. de Euchar.* Segneri *in Paroch. instructo*, & Cardenas *loc. cit.* qui ex decreto antiquatam jam putat sententiam Joannis Sanchez *in Sel. dis.22.* docentis, sufficere carentiam lethalis ad quotidianam Communionem: sed resultat ex alia longe majori dispositione dignoscenda a Confessario in pœnitente, ut docet citatum decretum, ex conscientiæ puritate, frequentiæ fructu, & ad pietatem processu: nam aliud est id, quod requiritur ad recipiendum aliquem effectum hujus Sacramenti; aliud longe diversum, qualiter oporteat accedere ad Eucharistiam eos, qui quotidie communicant. Illud primum utique nil aliud petit, quam statum gratiæ; hoc vero secundum petit ex D. Thoma *quæst.80. art.10. magnam devotionem, & reverentiam*: imo taliter hoc petit, ut Sacra Congregatio non præcise ad id quotidie communicantes hortetur, sed velit, ut, siquando se minus paratos senserint, a Communione abstineant, seque ad majorem præparationem accingant.

11. Cum autem difficile admodum sit, teste P. Paulo Segneri *in suo Paroch. instructo cap.21.* dignosci a Confessario, an vere aliquis habeat talem requisitam præparationem, & an per frequentem Communionem proficiat, necne? sequitur, quod judicium de dignitate, & reverentia requisita ad quotidie communicandum, respectu hujus, vel illius pœnitentis, sit opus magnæ discretionis, prudentiæ, ac sapientiæ, nec nisi pede, ut ajunt, laneo in hac re procedendum, præsertim respectu mulierum, ac respectu conjugatorum.

12. Dixi, respectu mulierum; quia, ut ait B. Albertus Magnus *lib. de Mis. in fin. de his, qui mulieres omni die communicant, videtur, quod acriter sint reprehendendi, quia nimio usu vilescere faciunt Sacramentum, & potius ex levitate mulierum putatur esse desiderium, quam ex devotione causatum*. Id ipsum monet Joannes Pontius *in Cursu Theol. disp.44. q.11. concl.4. Propter vanam gloriam*, inquit, *quæ multum prævalere solet apud mulieres*. Imo oppor-

opportune in hanc rem, ac festive notat Calinus *in cap.7. lib.1. Reg.* quod mulieres sunt natura sua propensæ ad illa devotionis opera, quæ fiunt extra domum, fiunt sine labore, & fiunt in aliorum conspectu; ac propterea facile est, ut non sit in eis verum desiderium communicandi, sed quædam naturalis propensio ad hujusmodi opera: & sane, pace earum dictum sit, quæ vera pietate ducuntur, nonnullæ fortasse minus frequenter communicarent, si id remotis arbitris faciendum esset.

13. Dixi, respectu conjugatorum; quia Apostolus Paulus non vult, eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus: sanum autem consilium est, ut conjugati se mutuo consensu abstineant ante sumptionem Eucharistiæ, nisi aliqua ratio urgens oppositum suadeat, ex Sanchez *lib.9. de Matr. disp.13.* Universim tamen notandum ex decreto, nec conjugatos, nec negotiatores &c. eo titulo, quod conjugati, quod negotiatores sint, a quotidiana Communione esse repellendos; sed judicio, prudentiæque Confessariorum, secreta cordium explorantium, id relinquendum: siquidem ex conjugatis, & ex negotiatoribus ipsis possunt esse, qui digne se præparent ad quotidianam Divinæ Eucharistiæ frequentationem.

14. Animadvertendum 3. quod post tale decretum Sacræ Congregationis, quamvis non solum constet, quotidianam Communionem esse laicis existentibus in gratia licitam, sicuti & olim inter sapientes constabat, sed etiam ex se, & ex genere suo esse iisdem melius & utilius quotidie communicare, quam abstinere, nam propterea, opinor, Sacra Congregatio vult, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & hoc omnino providendum a sacris Pastoribus mandat: tamen, quia eadem Sacra Congregatio in pluribus clausulis sui decreti vult, ut unusquisque digne ad sacram mensam accedat, & Pastorum, ac Confessariorum vigilantiæ committit decernere, quid singulis, attenta eorum dispositione, permittendum sit in ordine ad crebrius, vel rarius communicandum, restat indecisum a tali decreto, an Communio quotidiana, non quidem secundum se, sed prout in hoc, vel illo individuo, sit hic & nunc magis expediens: ac proinde, cum decidendum id sit a prudentia Confessarii, duo huic observanda sunt, ut sit fidelis dispensator, & prudens: 1. nempe, an facilitas in concedenda Communione quotidiana possit esse hallucinationi obnoxia? 2. quænam regula moralis servanda sit, ne erretur in concedenda, aut neganda crebrius, aut rarius respective, quotidiana Communione? Alterum ex his ego expediam in resolutione casus; alterum in tradendo, circa hanc rem, practicam doctrinam.



PARS SECUNDA.

PROPONITUR, AC RESOLVITUR CASUS.

§. I.

15. Casus est. Confessarius quidam pius facile permittebat, imo suadebat indifferenter personis laicis, existentibus in gratia, Communionem quotidianam, iis ductus rationibus: 1. quia usus frequentis Communionis perfectior est, quam usus rarior: 2. quia Concilium Tridentinum optaret, ut in singulis Missis Fideles adstantes communicarent: 3. quia talis erat usus primitivæ Ecclesiæ: 4. quia Sancti Patres frequenter inculcant quotidianam Communionem: 5. quia Sacra Cardinalium Congregatio *anno* 1587. statuit, licitam esse quotidianam Communionem; cui novissime aliud decretum accessit, permittens rem hanc integram judicio Confessarii. Quæritur, an praxis talis pii Confessarii recte innitatur talibus fundamentis, & an sit obnoxia hallucinationi, ac periculo tum irreverentiæ in tantum Sacramentum, tum damni spiritualis earum animarum?

16. ℞. Præmitto 1. non esse hic quæstionem, an facilitas in concedenda Communione quotidiana sit connexa cum actuali hallucinatione, & damno animarum, necne? certum enim videtur, non dari talem connexionem; siquidem potest Confessarius ita esse a Deo illuminatus, ita prudens, ac solers, ut licet facilis in hac re, tamen non hallucinetur: sed quæstio est, an talis facilitas sit moraliter obnoxia hallucinationi, & exposita periculo damnificandi animas.

17. Præmitto 2. hallucinationem quo ad hanc materiam stare in eo, quod Confessarius judicet dignas quotidiana Communione eas personas, quæ revera non sunt; quod putet se conformare decreto Sacræ Congregationis, cum revera ab ejusdem sanctione discedat; demum quod putet, se hic & nunc animarum bono consulere, cum revera illis potius noceat.

18. Præmitto 3. damnum spirituale animarum stare posse in eo, quod accedentes aliqui justi quotidie sine sufficienti, & requisita dispositione, vix eximuntur, inquit de Lugo *disp.* 17. *de Eucharistia*, a multiplici culpa veniali tum antecedenti, tum concomitanti; imo quamplures Communiones non raro habent finem defectuosum, & malum venialiter, nempe inanem gloriam, vanam æmulationem, vel aliquid simile: unde justo Dei judicio fit, quod propter hanc oscitantiam in frequentanda sacra Eucharistia, & in faciendo hoc tale opus Dei negligenter, disponantur hujusmodi personæ ad culpas graves, & eas tandem in se admittant; ut bene notat Viva *in expositione prop.* 23. *Alexandri VIII.*

19. His præmissis, quandoquidem responsio ad primum quæsitum pendet quammaxime ex responsione ad 2. huic secundo primum satisfaciam. Dico igitur. Facilitas in Confessario concedendi personis laicis, præsertim mulieribus, existentibus tamen sine conscientia peccati gravis, Communionem quotidianam, est

est moraliter obnoxia hallucinationi, ac periculo minuendi reverentiam Sacramento, & damnificandi eas animas. Probo hoc. Omne id, quod recedit ab eo, quod regulariter per hæc tempora docent Theologi tum Scholastici, tum Morales, tum Mystici, & quod observarunt per hæc tempora sancti ac religiosissimi animarum directores, est obnoxium hallucinationi, ac periculo &c. Hæc major videtur certa; nam, ut recte docet Canus *de Loc. Theol. in quacumque arte peritis credendum esse ratio monstrat, & sane hallucinaretur, qui nautis in navigandi ratione non crederet*: quod in re nostra magis valet ex eo, quia illa, quæ communiter docent sapientiores Theologi, & observant regulariter Sancti, fundantur vel in sacris litteris, vel in Apostolorum traditione, vel in Conciliorum, ac Pontificum sanctionibus, vel in solida aliqua ratione. Atqui facilitas in Confessario concedendi personis laicis Communionem quotidianam, recedit ab eo, quod sapientissimi Theologi tum Scholastici, tum Morales, tum Mystici, communiter per hæc tempora post Tridentinum docent, & quod sancti ac prudentes animarum directores regulariter observarunt. Ergo &c. Minor hæc fuse per suas partes probanda est.

20. Et primo quidem recedit ab eo, quod docent Theologi; nam hi fere uno omnes consensu docent, raros esse per hæc tempora, quibus recte, ac sapienter possit concedi quotidiana Communio: summo in hac re cum delectu, & cautela procedendum: prudentia, judicioque opus esse non mediocri ad ferendum judicium de uniuscujusque dispositione: ac, stando in linea directoris, regulariter non esse laicis crebrius, quam octavo quoque die, vel ad summum ter in hebdomada Communionem permittendam. Unde, cum non sit regulariter actus prudentiæ facilem se in hoc negotio exhibere, siquidem facilitas regulariter deficit a cautela requisita ad prudentiam, & inclinat ad præcipitationem, quæ est vitium oppositum prudentiæ, sequitur, quod qui facilem se in hoc exhibet, recedat ab eo, quod docent Theologi; præsertim cum hi raros esse dicant dignos quotidiana Communione, ille indifferenter personis justis hoc permittat, vel etiam suadeat; hi octavo quoque die moneant concedendam, ille quotidianam passim concedat Communionem.

21. Do ipsamet verba Theologorum, ac primo quidem proponam Scholasticos, deinde Morales, postremo Mysticos, ut veritas plane elucescat, & sub unum aspectum veniat tota ac solida eorum doctrina; ex qua etiam, quomodo se Confessarius gerere debeat in ordine ad Communionem concedendam, constabit.

§. II.

22. Scholastici Theologi agmen ducant. Dominicus Soto, spectatissimus Ordinis Prædicatorum Theologus, *art.* 10. *de Euch.* sic ait: *Simpliciter loquendo, non est utile omnibus hominibus quotidie ad Sacramentum accedere, sed quotiescumque homo ad illud se invenerit præparatum*: ac deinde concludit: *Sæcularibus conjugatis, qui rei familiari inserviunt, non consule-*

rem

rem frequentius, quam a quindena in quindenam ad Sacramentum accedere, licet a peccatis mortalibus sint liberi: nam, quamvis curam habeant expurgandæ conscientiæ, nihilominus, ut ait Paulus, non possunt non curare, quomodo placeant uxoribus, & quomodo rei familiari prospiciant; quod frequentiori sumptioni Sacramenti non est adeo congruens. Idem inferius ait: *Quocirca, si inter sæculares esset aliqua persona & probitate, & modestia insignis, nulla esset irreverentia, imo deceret forte semel in hebdomada communicare: crebrius autem, nullatenus approbare possem.*

23. Joannes Pontius, egregius Theologus ex Seraphico Ordine, *in Curs. Theol. disp.* 44. *de Euch. concl.* 4. postquam quæsivit, an consulenda sit quotidiana Communio? respondet, *talem usum fuisse in primitiva Ecclesia, quando primorum Christianorum ardebat charitas, & devotio, & esse etiam jam laudabilissimum singulis, qui pariter essent dispositi. Sed, refrigescente jam a pluribus sæculis illa charitate, non est omnino conveniens singulis diebus communicare aliis, quam Sacerdotibus; aut iis, qui singulis etiam diebus cum speciali reverentia, & præparatione accedunt, & experiuntur profectum spiritualem ex tali accessu, quales certe paucissimos reperire est inter sæculares*: & infra addit: *Sed ipsis Confessariis, ac directoribus spiritualibus cavendum valde est, ne suadeant Communionem quotidianam, nisi paucissimis, de quorum singulari pietate, ac devotione sincera, ex conversatione, & effectibus satis constat communiter iis qui cum ipsis converfantur; nec crederem sufficere, quod ex Confessione pateat Confessariis*. Notetur hoc diligenter a Confessariis; non enim, juxta hunc Doctorem, facile debent Communionem quotidianam permittere iis, quorum specialis devotio, licet sit nota ipsi Confessario ex Confessione, non est tamen nota aliis, cum quibus tales personæ versantur, ex earum conversatione.

24. Franciscus Suarez e Societate Jesu, acerrimus propugnator frequentiæ hujus Divini Sacramenti, *disp.* 69. *de Euch. sect.* 4. sic habet: *Ut tamen in re morali rationem aliquam insinuemus ad ferendum prudens judicium, videtur sane, raro esse alicui consulendum, ut ordinaria consuetudine frequentius, quam octavo quoque die, communicet. Ita significant Doctores, & ita sentiunt prudentes & experti viri in hac materia, & communis usus Ecclesiæ non parum favet: nam, regulariter loquendo, tot sunt humanæ vitæ negotia, & impedimenta, quæ & animum distrahunt, & tempus occupant, ut non possint homines frequentius accedere cum debita dispositione, nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par est: hoc tamen semel in hebdomada præstare, regulariter non est difficile.*

25. Gabriel Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 214. *cap.* 3. ait: *In Ecclesia maxime usitatum video, ut frequentius, quam octavo die, raro, & nonnisi hominibus probatæ virtutis, singulis autem diebus rarissime, ac paucissimis hoc Sacramentum tribuatur.*

26. Ægidius Coninch *qu.* 80. *de Euch. art.* 10. *Si consideremus*, inquit, *prudentissimorum per Orbem Christianorum hac in re judicium, & praxim; Laicis, qui timorate vivunt, & a gravioribus abstinent peccatis, videtur consulen-*

sulendum, ut semel per hebdomadam communicent, nec sæpius, nisi particularis ratio occurrat, præsertim si conjugati sint. Per so nis autem continentem vitam agentibus, & omnino a mundo abstractis, judic io prudentis Confessarii posset facile concedi, ut etiam diebus festis per hebdomadam occurrentibus communicarent. Cavenda tamen est etiam iis nimia frequentia, ne vel appareant omnino singulares, aut suo exemplo alios pertrahaut, ut frequentius communicent, quam ipsis expediat.

27. Idem ferme docent alii Scholastici ex diversis Scholis, Cajetanus, Oviedus, Medina, Cardinalis de Lugo, Lessius, Valentia, Vega, Durandus, Ledesma, aliique quamplures citati a Francisco de Lugo *lib. 4. de Euch. cap. 9. q. 6.* & apud Serlogo *in Cant. antil. 4. sect. 10.* adeo ut multo etiam ante hæc ultima tempora S. Bonaventura *in 4. dist. 12. p. 2. qu. 2.* asseruerit: *Omnes ergo rationes pro frequentia intelliguntur, salva debita præparatione, quæ in paucissimis est, ut semper.*

§. III.

28. Morales Theologi subscribunt Scholasticis: nam Salmanticensis Collegii Patres Discalceati ex Carmelitis *in Cursu morali tract. 4. cap. 7. p. 3.* ajunt: *Quapropter, spectata hominum conditione, paucissimi sunt, exceptis Sacerdotibus, quibus consulendus sit usus quotidianæ Communionis: rari, & pauci, qui ad plusquam hebdomadariam Communionem sint hortandi.*

29. Ochagavia *tract. 2. de Euch. q. 16. Generaliter non est Fidelibus consulendum, ut frequentius, quam octavo quoque die, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipiant: paucissimis, ac nonnisi maximos in virtute profectus consecutis concedenda est Eucharistia quotidiana.*

30. Martinus Bonacina, insignis e Clero sæculari Canonista, ac Theologus, *disp. 4. qu. 7. p. 2. de Euch.* apertissime affirmat: *Raro personis non Religiosis consulendum est, ut frequentius communicent, quam octavo quoque die, ut majori cum reverentia, & judicii maturitate discernant cibum a cibo.*

31. Joannes Clericatus, Præpositus Patavinus, *decis. 10. de Euch.* asserit: *Nullus est, cui menstrua Communio consuli non possit: pauci, quibus Communio hebdomadaria sit prohibenda: paucissimi, quibus quotidiana sit concedenda:* & infra censet, *non esse interdicendum quotidianum accessum ad Angelicam mensam laicis, & aliis charactere Sacerdotali non insignitis, si Angelicam vitam ducant.* Notetur hæc conditio, & planum fiet, quam parcus in hac re debeat esse Confessarius.

32. Castropalaus *disp. 21. de Euch. punct. 16.* postquam dixit, laudabilem esse quotidianam Communionem, sicuti etiam laudabile est votum virginitatis, seu castitatis &c. subdit: *Verum hoc intelligendum, si magno devotionis, & charitatis fervore ad tantum suscipiendum Sacramentum disponamur. Neque enim expedit reverentiæ tanto Sacramento debitæ, ut quotidie communicetur tepido, & remisso in charitate, curisque sæcularibus implicato. Quapropter, spectata hominum*

minum conditione, paucissimi sunt, quibus expediat singulis diebus communicare: rari, & pauci, quibus plusquam octavo quoque die.

33. Layman *in Theol. Mor. cap. 5. de Euch. Per accidens, consideratis vitæ hujus impedimentis, & distractionibus, raro hodie inter laicos reperiuntur, qui idonei sint ad S. Eucharistiam sæpius, quam octavo quoque die, cum ea, qua par est, reverentia, atque animæ suæ fructu, aliorumque ædificatione sumendam.*

34. Idem ferme docent Sylvester Ordinis Prædicatorum 3. *de Euch. q.* 15. Jo. Baptista Corradus Ordinis Prædicatorum *p.* 1. *q.* 57. Filliuccius Soc. Jesu *c.* 7. *de Euch.* Gobattus Soc. Jesu *cas.* 4. *n.* 57. Diana Clericus Regularis *p.* 11. *tract.* 7. *res.* 15. Cardinalis Toletus, aliique quamplures *in ead. resol.* citati a Diana. Rogo: si rari sunt in toto Orbe Christiano, qui frequentius, quam octavo quoque die, communicari mereantur; qua prudentia censebit Confessarius, plures in una urbe; imo in uno oppidulo reperiri, qui quotidiana sint digni Communione? Possunt reperiri, non inficior; sed caute procedendum.

§. IV.

35. A Gesis porro Theologos Mysticos consulamus: hi etiam in eadem prorsus sententia sunt, ac Scholastici, & Morales. Horum aliquos insigniores in medium proferam. Thomas a Kempis, quamvis ante Tridentinum floruerit, tamen, quia ejus aureus *de Imitatione Christi* libellus plurimo fuit, & est usui omnibus animarum directoribus, qui post Tridentinum extitere, idcirco primo loco producendus videtur. Ipse itaque *in cit. libello l.* 4. *cap.* 4. ait: *Et licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum bene dispositus, dabo tamen operam congruis temporibus Divina percipere mysteria, ac tantæ gratiæ participem me præbere.* Notes, quod devotissimus hic vir, instruens alios, induendo personam discipuli, supponit, non facile in aliquo dari aptitudinem, & dispositionem ad quotidie frequentanda Divina mysteria.

36. Joannes de Avila, Presbyter, ac Doctor eximiæ sanctitatis ac doctrinæ in Hispania, scribens ad quemdam concionatorem, qui hac super re illum per litteras consuluerat, ita loquitur, uti legere est *ep.* 3. *part.* 1. *suarum Epistolarum: Dico, che l'esser tanti, come ella dice, a comunicarsi ogni giorno, mi dà qualche sospetto all'animo, che forse tal cosa non piaccia a Dio, perchè, richiedendo questo negozio di comunicarsi ogni giorno, grandissima preparazione, tanto, che i Teologi, e specialmente S. Tommaso, e S. Bonaventura, parlano di ciò più tosto, come di cosa possibile, che reale, & essendo assai più difficile tal preparazione nello stato matrimoniale ec. io per me non so intendere, come in tanta gente possa essere tanta santità.* Infra vero subdit: *Pare frequenza assai ragionevole per quelli, che non passano la mediocrità dello spirito, il comunicarsi ogni otto giorni una volta, salvo se non occorresse qualche caso particolare infra settimana ec. e che chi vorrebbe far più, parli con V. R. ec. e quando vedrà in alcuno il profitto del comunicarsi assai chiaro, glie lo conceda, ma siano pochi: communemente cogli altri stia pur sopra*

sopra di se, raccomandandosi prima a Dio, e domandandogli lume per non errare. Notetur, quanta cautela in hac re procedendum sit.

37. Ludovicus Granatensis, Ordinis Prædicatorum, spectatæ sanctitatis ac doctrinæ vir, quem summis laudibus extulit Gregorius XIII. propter ejus excellentiam in doctrina spirituali, & quem S. Carolus Borromæus absentem consulebat, & vehementer amabat, ait, uti extat apud Corradum, quod *ad hoc Sacramentum accedere regulariter cuicumque personæ sufficere debet Dominicis tantum diebus*. Intelligas, nisi aliqua sit specialis causa, vel devotio: sed videas, quam esset alienus a concedenda passim quotidiana.

38. Ludovicus de Ponte Soc. Jesu, insignis vitæ spiritualis magister, 1. *tom. perf. Christianæ tract.* 4. *cap.* 6. inquit: *Satis apparet, si ordinariam hominum dispositionem attendamus, duo posse esse extrema circa frequentiam Communionis vitiosa: alterum eorum, qui rarius, quam par esset, accedunt; alterum eorum, qui nimis frequenter: in qua re difficile est medium attingere*. Infra deinde dat pro hac re varias regulas, quarum una est, *posse aliquas personas excellentis adeo virtutis ac sanctitatis esse, adeoque Divinum hoc Sacramentum appetere & esurire, ut merito debeat eis sacra Communio ter, aut quater singulis hebdomadis concedi: imo aliquibus, etsi raris, etiam quotidie, si personæ sint Divino obsequio omnino mancipatæ*. Expendantur a Confessariis hæc verba; & intelligetur, quam minime deceat facilitas in indulgenda quotidiana Communione.

39. Eusebius Nieremberg Soc. Jesu, cujus piissimi libri, quantus ipse vir sit, satis ostendunt, *in suis pandectis vitæ asceticæ l.* 2. *doct.* 4. *cap.* 22. postquam laudavit usum communicandi octavo quoque die, subdit: *Et licet olim major frequentia fuerit in usu Fidelium non solum Apostolorum temporibus, sed etiam postea per plures annos, nihilominus his frigidis temporibus hæc frequentia satis magna iudicatur*. Unde, si hæc frequentia est satis magna, caute Confessarii incedant, & majorem facile non concedant, nisi majores, & graviores hic & nunc causæ occurrant.

40. Demum in Vita S. Margaritæ de Cortona, descripta a Francisco Marchesio, *lib.* 1. *cap.* 20. habetur, quod ipse Episcopus animarum nostrarum Christus Dominus dixerit, ac mandaverit suæ fideli servæ hæc: *Farai avvertito in mio nome il tuo P. Confessore a non ammettere in avvenire con tanta facilità qualunque persona, che addimanda il Sacramento, ma che lo comparta solo alle anime ben disposte e pure, le quali con grande ardore di spirito lo desiderano, perchè io sono pur troppo offeso dalle frequenti Communioni degli uomini, i quali senza ritrarne alcun frutto malamente vivono*. Utinam hæc monitio Confessariorum omnium menti inhæreat!

41. Stat igitur, quod sapientissimi omnium Ordinum Theologi tum Scholastici, tum Morales, tum Mystici docent, raros, imo rarissimos esse, quibus prudenter, & congrue possit a Confessariis quotidiana Communio indulgeri. At, rogo, qua veritate id assererent, si recte procederent ii animarum directores, qui facile plures, & pluribus in locis ad quotidianam Communionem admittunt? Profecto, si bene procedunt hi Confessarii, non vi-

deo, quomodo vera sit horum Theologorum doctrina; siquidem non rari, sed plures, & plures sunt non solum in Christiana republica, sed in uno oppido, quibus consulenda sit quotidiana Communio.

§. V.

42. Supereſt, ut videamus, an talis facilitas etiam recedat a praxi, quam tenuerunt ſancti ac prudentes animarum moderatores, qui floruerunt per hæc duo ultima ſæcula: & quidem pronum eſt oſtendere, quod ſic, ut conſtat ab exemplis: nam

43. S. Cajetanus Thienæus, qui, ut teſtantur lectiones Breviarii, ſanctiſsimæ Euchariſtiæ frequentiorem uſum maxime promovit, ita ſe geſsit, juxta ejus Vitam deſcriptam a Joanne Baptiſta Caſtaldi: *Prima diſpoſe i popoli a frequentare la Comunione una volta il meſe, poi che ſi frequentaſſe ogni Domenica: v'aggiunſe le feſte fra ſettimana, & anco i Venerdì*. Ubi notes, quod qui maxime fuit promotor frequentis uſus, & ut talis ab Eccleſia laudatur, non legitur, quod ordinaria conſuetudine quotidianam Communionem invexerit.

44. S. Ignatius de Loyola, a quo Sacramentorum frequentia incrementum accepit, tam parcus erat, & cautus in concedenda laicis quotidiana Communione, ut, teſte Sacchino *lib. 3. hiſt. Soc. n.* 8. etiam *eos, quibus quotidiana Divinæ menſæ conſuetudo jam erat, quamquam non cogendos, tamen adhortandos ajebat, ut id rarius factitarent*. Quare obiter notetur, non eſſe, cur quis miretur, ſi aliqui e Societate aliquando laicis conſilium dent, ut rarius, quam ſingulis diebus, communicent; nam hoc documentum habent a S. Fundatore, optimo animarum moderatore, ac zelantiſſimo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ quo ad uſum propagatore.

45. S. Philippus Nerius, ut conſtat ex ejus Vita deſcripta a P. Bacci *l. 2. c. 1. voleva, che non ſolo i Sacerdoti, ma ancora i laici frequentaſſero queſto Sacramento: per la qual coſa alcuni de' ſuoi penitenti ſi comunicavano ogni otto giorni, molti ogni feſta, altri tre volte la ſettimana, ed alcuni, ſe ben pochi, ogni giorno*. Ubi notetur, quod S. Philippus erat ita a Deo illuminatus, ut probe intelligeret, quid cuique expediret: notetur, quod ejus pœnitentes erant plurimi, ita ut tota fere Roma ad ipſum conflueret: notetur, quod non pauci ejuſdem pœnitentes fuerunt inſigni pietate ac ſanctitate excellentes: unde magna in eo relucet circumſpectio, & cautela, quod paucos Communione quotidiana dignaretur: imo Sanctus Vir ſæpiſsime dictitabat: *Non tutto quello, che è in ſe ſteſſo buono, è buono in particolare*. Bonum eſt v. g. quotidie communicare ſecundum ſe; ſed non ſemper eſt bonum, ſeu expediens, prout in individuo. Et ad mulieres quod attinet, ſæpe ille laudabat, atque in exemplum proponebat Martham quamdam Spoletinam. Cur? Numquid quia ſemper adſtabat ſicut novella olivarum in circuitu menſæ Domini? Minime gentium: ſed quia, ut ipſe ajebat, *attendeva a filare in caſa ſua*,

46. S. Fran-

46. S. Franciscus Salesius agens de frequenti Communione *cap. 20. Introd. ad vit. devot. Io*, inquit, *nè vitupero, nè lodo assolutamente, che uno si communichi ogni giorno; ma lascio questo alla discrezione del Padre spirituale, perchè la disposizione, che si ricerca ad una sì frequente Comunione, dovendo essere tanto esquisita, non è bene darne consiglio in generale*. Notentur illa verba: *la disposizione che si ricerca, dovendo essere tanto esquisita*: quæ sane indicant, quam parce & caute in hac re Sanctus Vir procederet.

47. S. Carolus Borromæus, ut videre est in pluribus ab eo habitis Conciliis provincialibus, commendat quidem sæpissime frequentem Communionem, non autem unquam, neque ab ipsis Clericis, exigit, aut petit quotidianam: imo ab ipsis Clericis cum non petat frequentiorem, quam hebdomadariam, & in festis occurrentibus, colligitur, quod S. Antistes non ita facilis esset ad laicis quotidianam indulgendam.

48. Jacobus Laynez, qui Concilio Tridentino interfuit Pontificii Theologi munus exequens, teste Sacchino *lib. 3. hist. Soc. n. 6.* collectis in unum pluribus aliis Theologis, hanc rem de concedenda crebrius, aut rarius laicis Communione diligenter ad examen vocavit, ac discussit, ut ad certam quamdam ac prudentem normam Societatis Confessarii se componerent, nec in tanta re errarent: ac demum statuit, *permitti nequaquam debere, ut singulis diebus mysteria Divinissima laici sumerent, nisi si quis forte ita viveret, ut vita ejus perpetua ad sacrosanctam Communionem præparatio videretur*.

49. Religiosissimi illi animarum directores ex Dominicana Familia, qui hoc ultimo præcedenti sæculo direxerunt in spiritu S. Rosam Peruanam, nunquam illi stabiliter, & ordinaria consuetudine permiserunt Communionem quotidianam: unde historicus vitæ hujus P. Laurentius Lucchesini ait: *Ter ut minimum in hebdomada Divina Eucharistia reficiebatur, quinquies non raro, & aliquando in singulos dies*. Notetur ly *aliquando*, & notetur, quod erat S. Rosa, quæ accedens ad sacram mensam, facie ipsa præferebat cordis incendium, adeo ut cœlesti splendore sæpissime perfusa Sacerdotibus ipsis terrorem incuteret.

50. Religiosissimi illi viri, qui direxerunt in spiritu his nostris temporibus Augustissimam Eleonoram Neoburgicam, matrem regnantis Imperatoris, Fœminam plane omnibus ornatam virtutibus, ut constat ex ejus Vita nuper impressa, nunquam illi concesserunt, neque in ipso statu viduitatis, quotidianam Communionem, sed ter in hebdomada: adeo in hac re cauti & temperati erant.

51. Demum vix in ullo, quod sciam, Religionum Novitiatu, licet quotquot in iis vivunt, religiosissimam ad exactæ regularis observantiæ normam vitam traducant, conceditur plus quam ter in hebdomada sacra Eucharistia: quod sane non leve argumentum est ad probandum, quanta discretione, & moderatione procedere debeant Confessarii in hoc negotio respectu laicorum sæcularium.

52. Neque illos ad facilitatem incitare debet, quod S. Catharina Senensis quotidie communicaret, quod idem faceret per hæc nostra tempora S. Ma-

ria Magdalena de Pazzis cum toto integro suo monasterio. Nam in primis, quod duæ adeo sanctæ Fœminæ id usurpaverint, non probat, non esse raras eas, quibus id concedendum sit. Adde, quod de S. Catharina Senensi ita loquitur S. Antoninus *tit.23. cap.14. §.8. Erat satis inter laicos vulgatum, quod Catharina ista quotidie communicabat, & ex Sacramento absque alio cibo vitam transigebat: sed quod pie dicebant, & suspicabantur, utique verum non erat; non enim quotidie, sed frequenter Sacramentum sumebat.* Monasterium vero S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Sancta ipsa hoc habent peculiare, ex quo illum cum cæteris discrimen oritur; nam, cum ex instituto Religioso id faciant, & ipsa fecerit, habent, & ipsa habuit gratiam vocationis, seu auxilia quædam actualia specialia ad id rite exequendum: unde ex eo, quod ita fecerit Sancta, & quod ita faciant illæ religiosissimæ Matres, non est, cur facilis esse debeat Confessarius in indulgenda aliis quotidiana Communione.

53. Postremo sic concludo. Integrum est judicium, quod plurimorum prudentum sententia comprobatur, *Can.Extra dist.64.* Ergo a contrario hallucinationi est obnoxium illud judicium, quod a plurimorum sententia recedit. Atqui judicium eorum Confessariorum, qui facile hanc Communionem quotidianam concedunt justis, simpliciter recedit a plurimorum sententia; siquidem plurimi ajunt, raros, ac paucissimos esse in toto Orbe, quibus concedenda sit. Ergo judicium talium Confessariorum hallucinationi obxoxium est &c.

54. At, inquient, nos innitimur gravibus fundamentis in hoc faciendo. Bene est: expendamus illa: & sit nostra secunda assertio.

§. VI.

55. DIco 2. Praxis talium Confessariorum non bene innititur fundamentis in casu expositis. Probo hoc, explicando sensum, quem habent fundamenta adducta; ex quo sensu liquido constabit, talia fundamenta nihil patrocinari praxi talium Confessariorum. Ac primum erat. Usus frequentis Communionis perfectior est, quam usus rarior. Admitto hoc libentissime: imo tam certum hoc esse affirmo, ut nullus de hoc Catholicus possit dubitare, sicuti bene observat de Lugo *loc. cit.* Sed quid inde? Etiam status Religionis perfectior est, quam status conjugalis; etiam votum castitatis perpetuæ perfectius est, quam votum castitatis ad tempus: numquid proinde facilis quis esse debet in faciendo potestatem pœnitentibus emittendi votum castitatis perpetuæ? nnmquid facile quis suadebit huic, vel alteri in particulari statum Religionis præ alio statu? Recolatur illud dictum S. Philippi Nerii: *Non tutto quello che è buono in se stesso, è buono in particolare.* Sensus itaque talis propositionis, nempe quod usus frequentior sit in se perfectior, non negatur; imo asseritur, imo proponitur ad populum. Sed, an huic, vel illi expediat hic & nunc usus frequentior, quam rarior, hoc opus, hic labor est; & idcirco considerate, & cum cautela procedere debet Confessarius. Videatur *art.10. q.80.* S. Thomæ *in 3. p.* ubi recte explicatur, qua ratione frequens usus

usus Sacramenti semper expediat, & qua ratione possit per accidens non expedire.

56. Replicabit fortasse aliquis. Usus sacræ Eucharistiæ, seu sacra Communio auget gratiam sanctificantem ex opere operato homini in gratia existenti: ergo quilibet in gratia existens, utiliter ac sancte facit, accedendo ad hunc Divinum cibum: adeoque facilitas Confessarii in concedendo laicis quotidianam Communionem non est obnoxia hallucinationi.

57. Sed contra. Nam in primis non desunt Auctores satis graves, qui negant, sufficere solam existentiam in gratia ad hoc, ut sacra Communio pariat in subjecto augmentum gratiæ sanctificantis ex opere operato, sed ulterius requirunt actualem devotionem, & fervorem; ut videre est apud Castropalaum *tract.* 21. *disp. unic. p.* 11. Deinde, esto sit verum, sufficere carentiam lethalis in subjecto, ad hoc ut habeatur per sacram Communionem augmentum gratiæ sanctificantis, ut docet Suarez *in* 3. *p. disp.* 63. *sect.* 3. numquid proinde sequitur, ut respectu cujuslibet hominis justi utilior sit quotidiana Communio, quam Communio non ita frequens? Nequaquam: etenim 1. gratia, quæ ex opere operato datur in Sacramentis, proportionem habet cum dispositionibus recipientis, uti Suarez *ibi sect.* 4. cum autem possit quis esse magis dispositus in Communione non adeo frequenti, potest etiam contingere, ut majus augmentum gratiæ recipiat hic in Communione minus frequenti, quam in quotidiana, & consequenter utilior illi sit Communio non adeo frequens, quam quotidiana, & frequentissima: 2. Communio quotidiana ut respectu hujus, vel illius subjecti dicatur utilior, pensanda est, ut recte notat Moya, non solum utilitas proveniens recipienti ex opere operato, sed hæc, & reverentia debita Sacramento: cum autem longe major possit reverentia reperiri in hoc, vel illo subjecto, si frequenter quidem, sed non quotidie accedat, quam si accedat quotidie; hinc est, quod respectu hujus, vel illius subjecti non semper sit utilior Communio quotidiana, etiamsi per talem quotidianam Communionem habeatur augmentum gratiæ: & consequenter Confessarius non debet esse facilis &c.

58. II. Concilium Tridentinum optat, ut in singulis Missis Fideles adstantes communicent. ℟. 1. quod, ut bene notat Cardenas, Tridentinum non id optat absolute, sed *optaret*, idest inclinat quodammodo ad optandum: non optat absolute; quia non omnes, imo paucissimi habent eam dispositionem, quæ requiritur ad talem frequentiam: inclinat ad id optandum; quia id, ut dictum est, perfectius in se est. ℟. 2. quod sancta Synodus optat quidem, ut omnes Fideles adstantes communicent; sed simul optat in Fidelibus veram, & congruam dispositionem: unde objectum desiderii habiti a Tridentino, non est sola Communio quotidiana, sed complexum ex eadem, & ex congrua in Fidelibus dispositione: cum autem hæc in paucissimis reperiatur, sicuti sancta Synodus idcirco nihil præcepit, sed tantum, quid cuperet, indicavit; ita Confessarius non facilis debet esse in concedendo tali frequenti usu, sed temperamentum juxta uniuscujusque dispositionem adhibere.

59. III. Talis erat usus primitivæ Ecclesiæ, ut quotidie communicarent. ℟. ve-

℟. verissimum id esse, ut constat ex Actis Apostolicis, & ex Angelico *in resp. ad* 5. sed fervorem illorum temporum proportionem habuisse cum ea frequentia, uti optime notat S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 12. *p.* 2. *q.* 2. apud de Lugo *d.* 17. Quare, si aliquis inveniatur habere fervorem illorum primorum Christianorum, poterit illi laudabiliter & faciliter concedi quotidiana Communio. At quinam erat fervor illorum primorum Christianorum? Audiatur ex Cornelio a Lapide *in cap.* 5. *Act. Apostolorum*: ubi ex Josepho refert, eos fuisse opum contemptores, paupertatis, & vitæ communis amantes, religiosos erga Deum, silentio deditos, psalmodos, mites, fideles, pacificos, continentes, justos, abstinentes, longævos, in tormentis constantes, imo ridentes, immortalitati, & æternitati viventes quasi heroes, & semideos. Rursus ibidem ex Philone refert, quod illi pie, sancte, justeque vivebant triplici regula utentes, amore Dei ardentissimo, virtutis cultu diligentissimo, charitate proximi ferventissima. Rogo, quotnam sunt hujusmodi nostris temporibus? Utinam multi! Sed juxta Theologos, ac Patres, pauci sunt: ac propterea Confessarius non debet usum illorum temporum ad tuendam suam facilitatem obtendere, sed potius cum S. Bonaventura concludere: *Si aliquis videat, se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est, quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finali, utpote frigidum & tardum, laudandum est, quod raro: si autem medio modo, medio modo se debet habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore.*

60. IV. Sancti Patres frequenter inculcant quotidianam Communionem, & usum frequentissimum illius. ℟. cum S. Bonaventura, omnes tales textus Sanctorum Patrum intelligendos esse, salva semper debita præparatione, quæ in paucissimis est: unde optime notat Cardenas, quod omnia Concilia, & Patres, qui adducuntur, & possunt adduci ad tuendam facilitatem, non faciunt ad rem; quia illi, dum hortantur ad Communionem quotidianam, simul hortantur ad debitam & congruam dispositionem, quæ raro reperitur. Adde, quod Sancti Patres multoties loquuntur, non presse, & scholastice, sed concionatorio modo in homiliis habitis ad populum: expedit autem, ut Concionatores frequenter inculcent frequentiam Communionis, ejusque utilitatem amplificent; quia populus magis per se inclinat ad raritatem, quam ad frequentiam: &, si frequentia reprehendatur (quod sane & S. Carolus in suis Conciliis vetuit, & Franciscus de Lugo non carere gravi peccato judicat), si, inquam, frequentia reprehendatur, facile erit, ut plures suam desidiam reverentiæ velamine tegant: unde bene notat Cardinalis de Lugo: *Decet Theologum scire, quid doceat theologica veritas in hoc negotio, sermonem tamen temperare, & apud plebem in favorem frequentiæ loqui, prout Sancti Patres fecerunt.* Monet tamen decretum Sacræ Congregationis, ut Concionatores postquam frequentiam commendaverint, statim de magna ad illud sumendum Sacramentum præparatione orationem habeant. Demum accedit, quod Sancti Patres multa dixerunt, quæ videntur præseferre aliquam exaggerationem, quia toti erant in reprehendendo, & confutando adversa-

rios

nos illos, qui infrequentiam volebant, ut contigit in Oriente tempore S. Chrysostomi. Quando autem quis e pulpito, & apud populum vitium aliquod contra ejusdem defensores reprehendit, facile, & etiam prudenter oppositam virtutem exaggerat. Hinc etiam factum fuit, quod nostra Societas cum sub ejus initium in invidiam apud aliquos vocaretur, imo hæresis accusaretur, ex eo quod frequentiam hujus Divini cibi promoveret, S. Thomas de Villanova e pulpito tum talem frequentiam, tum Societatem defenderit, & Chrystophorus Madritius librum de frequentis Communionis laude conscripserit: quæ laus semper intelligenda est vel de frequentia secundum se, vel de frequentia suppositis terminis habilibus in subjecto.

61. Neque facilitati Confessariorum patrocinatur, quod Sancti Patres aliquando dicant, semper accedendum esse ad Communionem, quando quis non habet lethale: nam ly *semper*, debet accipi cum proportione, inquit de Lugo, idest suis temporibus congruis: sicut ly semper orandum, debet accipi cum eadem proportione. Item nec patrocinatur, quod aliqui Sancti dicant, raritatem non reddere hominem dispositum, & quod qui non est dignus accipere quotidie, non est dignus accipere post annum: nam verum est, quod raritas accessus ad sacram mensam per se non parit dispositionem, eam tamen parit occasionaliter, & qui non est dignus accipere quotidie, non est dignus accipere post annum condignitate adæquationis; tamen est dignus accipere post annum sine indecentia, quæ utique esset, si in statu tepido quis accederet quotidie; non est autem, si accedat post annum, quia post annum datur major necessitas, qua excusatur illa irreverentia.

62. V. Sacra Cardinalium Congregatio *anno* 1587. statuit, non esse illicitum quotidie communicare. ℞. Utique non est illicitum; nullum enim extat præceptum prohibens quotidianam Communionem. Sed quid inde? Peregrinatio Compostellana non est illicita, imo sancta: numquid tu facile omnibus fœmellis consuleres Compostellanam peregrinationem? Quamvis igitur res aliqua non sit illicita, tamen multa consideranda sunt, ut eadem hic & nunc in particulari alicui suadeatur. Certe S. Thomas considerans Communionem ex parte sumentis, pronunciat: *Non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere*. Adde, quod, quamvis quotidiana Communio non sit illicita ex decreto citatæ Congregationis, id tamen intelligendum de quotidiana Communione secundum se; nam per accidens, & ex circumstantiis potest esse alicui illicita, saltem leviter, in hoc sensu, juxta de Lugo, non quatenus actus communicandi sit illicitus, sed quatenus actus habendi v.g. voluntariam distractionem, aut inanem gloriam, aut quid simile, habet in circumstantia accedendi ad Eucharistiam, non solum malitiam propriam objecti, sed etiam malitiam contra religionem, propter irreverentiam contra Sacramentum. Et notetur, quod talis irreverentia, & consequenter venialis aliqua culpa facilius potest incurri a personis devotis, quam ab aliis; quia a personis devotis major reverentia, & præparatio, juxta de Lugo, requiritur ex præcepto levi, quam ab aliis personis justis: unde facilius est, quod peccent leviter in accedendo ad Communionem istæ personæ devo-

devotæ, quam aliæ: ac propterea non ita facilis debet esse Confessarius in concedendo etiam illis quotidianam Communionem. Certe S. Romualdus nolebat, ut illi Monachi communicarent, qui inter orandum dormitassent; videlicet quia in talibus viris spiritualem vitam profitentibus talis dormitatio videbatur Sancto Abbati indispositio quædam ad Communionem, quæ fortasse in aliis non esset.

63. VI. Sacra Congregatio in ultimo decreto de quotidiana Communione relinquit hanc rem integram judicio Confessarii. ℞. Relinquit judicio Confessarii, at judicio recto, non erroneo. Etiam in Jubilæis committitur arbitrio Confessarii commutatio votorum: non tamen idcirco temere Confessarius in hac re procedere debet, sed ea expendere, quæ expendenda monent quo ad commutationem Sanchez, aliique Theologi. Similiter dicendum in præsenti materia. Debet proinde Confessarius, ne erret, expendere quæ docent Theologi, quæ usurparunt Sancti: cum autem doceant Theologi, rarissimos esse, quibus quotidiana Communio concedenda sit, ex eo quod in rarissimis reperiatur debita & congrua dispositio, non debet præcipitanter omnibus indifferenter justis quotidianam Communionem concedere, sed bene expendere, an in pœnitentibus sint dispositiones requisitæ ad Communionem quotidianam.

64. Duo fortasse replicabit hic Confessarius facilis ad Communionem indulgendam. I. Sacra Congregatio non vult assignari certos dies, quibus liceat, aut non liceat ad sacram mensam accedere: ergo Theologi supra citati, assignantes octiduum regulariter pro frequentanda Communione, non bene docent; adeoque illis non standum. II. Sacerdotes quotidie celebrant, & quotidiana celebratio in illis laudatur, nec tanta cautela præscribitur: cur igitur tanta adhibenda est in laicis, cum ex his multi devotiores sint, quam Sacerdotes? ℞. ad 1. Aliud est assignare certos dies, quibus generaliter unica præcepti formula possint, vel non possint laici accedere ad sacram mensam: aliud assignare certam regulam, quæ possit plerumque fere in omnibus observari, quando specialis causa aliter faciendi non occurrat. Illud primum prohibetur a Sacra Congregatione, & quidem recte; quia possunt reperiri laici adeo sancti, quibus expediat frequentior Communio. Hoc vero secundum non prohibetur; & hoc faciunt citati supra Theologi indicando octavum quemque diem pro frequentanda Communione: sicuti hoc etiam facit regula 26. Sacerdotum Societatis Jesu, quæ proinde optime videtur cohærere cum hoc decreto, & cum doctrina Theologorum; non enim præscribit generaliter dies, quibus huic, vel illi generi personarum danda, aut non danda sit Communio, sed assignat quamdam mensuram, quæ facilius, & congruentius potest fere in omnibus observari, ne detur locus errori: ac proinde Laynius cum cæteris Patribus, ut refert Sacchinus *lib. 3. hist. Soc. n. 6.* dixerunt, *moderationem justam videri, si laici octavo quoque die Communionem usurpent.* Notes ly *moderationem*: non enim dixerunt taxationem, aut præscriptionem.

65. ℞. ad 2. primo, quod Sacerdotes cum pari dispositione, quam habent laici, possunt frequentius celebrando communicare, quam laici; quia defectus dispositionis, quem forte habent, compensatur per obligationem,

quam

quam habent ex officio: secundo, Sacerdotes frequentius possunt communicare celebrando, quia ex se, ratione status, sunt regulariter magis dispositi, quam laici, utpote ratione status separati a curis saecularibus; praeterea ratione Ordinis habent auxilia quaedam gratiae ad rite sanćteque peragendam illam actionem sacrosanctam, quae auxilia non habent laici: tertio non inficior, quod etiam Sacerdoti, qui culpabiliter, vel inculpabiliter ob frequentem & quotidianam Communionem est in periculo irreverentiae, & indevotionis, consilium dandum esset de abstinendo aliquando, ut postea reverentius accederet, sicuti docet S. Bonaventura apud de Lugo *disp.* 17. quamquam raro crederem inculpabiliter eventurum tale periculum Sacerdoti; ac propterea cum tale periculum irreverentiae regulariter eveniat ex culpa Sacerdotis, auctor illi essem, ut potius ipse tolleret talem culpam, quam omitteret Sacrum, ea ductus ratione, quia innumera bona, & immensi fructus proveniunt Fidelibus tum vivis, tum defunctis, ex sacrosancto Missae Sacrificio.

66. Constat proinde ex hactenus dictis id, quod asseruimus 2. loco, nempe quod praxis talis pii Sacerdotis facilis in concedenda quotidiana Communione, non bene innititur fundamentis in casu expositis.

PARS TERTIA.

PROPONUNTUR ALIQUOT MORALES REGULAE SERVANDAE A CONFESSARIO IN CONCEDENDO CREBRIUS, AUT RARIUS LAICIS SACRAM COMMUNIONEM, UT SIT FIDELIS DISPENSATOR ET PRUDENS.

§. I.

67. Triplicem assigno regulam desumptam ex doctrina Sanctorum, ex Theologis, & ex ipso decreto. Prima igitur regula est ex S. Francisco Salesio. Hic Sanctus *cap.* 20. *lib.* 2. *Introd. ad vit. devot.* sic docet: *Per comunicarsi ogni otto giorni bisogna non avere nè peccato mortale, nè affetto al peccato veniale, ed avere un gran desiderio di comunicarsi; ma per continuare tutti i giorni, bisogna di più aver superata la maggior parte delle sue male inclinazioni, e che questo sia col consiglio del Padre spirituale.* Quamobrem ecce satis congruam regulam pro concedenda Communione quotidiana, vel non concedenda. Videat scilicet Confessarius, an persona petens Communionem quotidianam, 1. sit expers peccati mortalis, 2. an sit expers omnis affectus ad peccata venialia, 3. an habeat ardens desiderium communicandi, 4. an superaverit plerasque suas pravas inclinationes tum partis concupiscibilis, tum partis irascibilis: & si quidem ita invenerit, tunc poterit quidem eam adhortari, ut rarius, vel certis diebus communicet; non poterit tamen, nisi alia occurrat causa, v. g. ad eam mortificandam, denegare illi Communionem quotidianam, aut ab eadem eam repellere, vel deterrere, juxta supra relatum decretum. Dixi, poterit adhortari: addo nunc, meo quidem judicio, exequens munus directoris, adhortarer; tum quia raro mihi crederem adesse dispositiones has ex Salesio requisitas; tum quia, ut bene notat

Calinus *loc. supracit. n.* 12. ita homines a natura comparati sunt, ut eorum fervor sensim tepescat in rebus quotidianis; nam ex assuetis non fit passio: unde, si quotidie Divinus cibus accipiatur, facile est, ut tepide, & sine congrua dispositione accipiatur. Videatur idem Auctor *loc. cit.*

§. II.

68. SEcunda regula est ex Paulo Segneri *in suo Parocho instructo cap.* 21. Nempe observet diligenter Confessarius finem, quem habent, & quo moventur personæ ad frequentem Communionem usurpandam; &, si animadvertat, talem frequentiam non provenire ex fame talis Divini cibi, sed ex quadam interna æmulatione, ex quadam ambitione, ex quadam consuetudine, non consultum videtur, iis frequentiorem Communionem, & præsertim quotidianam concedere. Quod olim etiam solide docteque monuerat Ludovicus de Ponte *p.* 1. *perf. Christianæ tract.* 4. *cap.* 6. omnino videndus.

69. At unde cognoscet Confessarius finem sincerum, & non vitiosum talium personarum? ℞. Cognoscet, si, quando eis denegatur Communio, illæ vel gravate, & ægro animo obediant, vel absolute non obediant, eundo ad alium Confessarium, aut superbe asserendo, non posse se recedere a consuetudine, quam habent. Cognoscet etiam, ut bene notat Stadiera *tract.* 14. *c.* 19. *degl' inganni &c. investigando, che effetti provino in se dopo la Comunione; e se scoprirai*, inquit, *che non v'è altro, o poco altro, fuor di quel gusto, o soddisfazione d'aver avuta la Comunione, questo non è il desiderio sodo e massiccio, che richiede l'Eucaristia, ma s'addimandano vogliuccie, ed appetiti, non mali, ma imperfettissimi, e di pochissima sostanza*. Ideoque Confessarius non debet, ut prudens dispensator sit, iis concedere quotidianam Communionem regulariter. Certe illæ animæ, quæ sincerum valde habuerunt desiderium Divinæ Eucharistiæ, alios experiebantur post Communionem effectus. Audiantur, quos experiretur S. Catharina Senensis: *Tantus ejus in Eucharistiam erat ardor, tanta fames, ut, si quotidie non communicasset, videretur animam exalatura: mox vero, ut communicarat, & spiritu, & corpore* (en effectus) *evadebat ita valida, ut ingentes subiret labores & pœnitentias, ac cibos omnes humanos fastidiret*: apud Cornelium a Lapide *in Apoc. cap.* 2. Alii hujus Divini cibi post ejusdem sumptionem effectus videantur apud Rodriguez *tom.* 2. *tract. de Euch.*

70. Demum notetur cum Ludovico a Ponte *loc. cit.* quod vera fames, & sincerum desiderium frequentiæ extraordinariæ hujus Divini cibi, non statim incipit, postquam aliqua persona devotioni, ac superficiali cuidam pietati se addixit; sed regulariter postquam magnos ac multos habuit in solida virtute progressus. En ejusdem Auctoris piissimi verba: *Specialis, suaviorque vocatio, qua Christus Dominus electos suos ad majorem hujus Sacramenti frequentiam invitare solet, utplurimum incipit, postquam illi dies permultos in sanctis operationibus se exercuerunt, vultque ipse singulare suum erga eos studium, & favorem ostendere, bonaque illa opera remunerare, & spiritum addere, ut prosequantur, & in perfectione virtutum omnium proficiant*. Unde mirum sane est, quod aliquæ personæ spiritualem vitam & incipiant, & absolvant in quotidiana hujus Divini cibi usurpatione.

§. III.

§. III.

71. Tertia regula ex decreto ipso, & ex communi Theologorum est explorare frequentiæ fructum, & ad pietatem processum. Quando itaque aliquis ex frequenti Communione vere proficit, & proprium hujus Sacramenti fructum recipit, quando in solid is virtutibus per frequentem Communionem processus habet; tunc sane i lli Confessarius poterit uberiorem mensuram hujus Eucharistici panis libenter dare: at vero, si secus contingat, expediet potius, uti in tuenda corporis va letudine, cibum minuere, & exercitium augere, idest minuere Communion es, & augere alia pietatis opera. Vide Cajetanum 3. *p. q.* 80. *art.* 10.

72. Verum, hoc opus, hic labor e st. Unde intelliget Confessarius, an aliquis ex frequentia Eucharistiæ fructum capiat, & an in solidis virtutibus proficiat? ℞. 1. cum S. Francisco Salesio *in* 18. *Tract.* ubi sic ait: *Desiderate forse sapere, come conoscerete, se v'approfittate con ricevere i Sacramenti? Lo conoscerete, se v'avanzate nelle virtù, che sono proprie di tali Sacramenti: v. g. voi conoscerete cavar frutto dalla Comunione, se voi, frequentandola, diventerete dolce, soave, e umile; poichè tale è la virtù propria di questo Sacramento, che è tutto dolce, tutto soave, e tutto mele: ma, se al contrario voi non diventate più umile, nè più dolce, meritate, che vi si levi il pane, giacchè non volete faticare.*

73. ℞. 2. cum Sancto Apostolo Paulo 2. *ad Cor. cap.* 10. *Ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.* Idest Confessarius prudens metiatur pœnitentes in ipsismetipsis, & comparet illos in ipsismetipsis: observet, quales fuerint ante frequentem Communionem, & quales sint nunc, an sint faciles in committendis venialibus, sicut prius? an sint iracundi, sicut prius? an sint propriarum amatores commoditatum, sicut prius? &, si ita eos reperiat, probabilem conjecturam habebit, quod non proficiant; sin vero secus, constabit profectus in virtutibus. Notet tamen diligenter Confessarius in hac instituenda comparatione illud, quod recte notat Joannes Petrus Pinamonti *in suo Direct. cap.* 29. *Non credere, che tutto ciò, che prova internamente una persona per la sua complessione affettuosa, sia un eccesso di perfezione, o di accrescimento nella pietà:* atque idcirco ibidem docet idem Auctor: *Non far conto in materia di amor di Dio, se non del forte: non si devono disprezzare le tenerezze, & altre impressioni sensibili, ma non se ne deve far conto in maniera, che il direttore se ne serva per misura.* Quod idem olim monuerat, & usurpaverat in animarum directione S. Ignatius, uti refert Maffejus *in ejus Vita l.* 3. *cap.* 10.

74. Demum, etsi Confessarius non debeat in hoc gerendo negotio multum commoveri ex admiratione, & opinione vulgi, tamen non eam negligat, ut supra *n.* 23. indicavit Pontius: unde, quando viri prudentes admirantur in aliquibus frequentiam Communionis, cautus sit, suspicetur aliquid; nam fortasse pœnitentes veniunt ad ipsum sub vestimentis ovium, apud alios vero tales non sunt, apud alios præseferunt iracundiam, obstinationem in proprio judicio, amorem suarum commoditatum, fugam laborum, aliasque imper-

 fectio

fectiones, quas apud Confessarium quadam externa sensibili devotione, aliquibus suspiriis, & lacrymulis contegunt: quare, quando canes latrant, pastor advigilet, & meminerit I. illud S. Thomæ 2. 2. *q.* 49. *art.* 3. *In his, quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri*. Quocirca concedere, prout oportet, rarius, aut crebrius Communionem pœnitentibus, cum sit opus prudentiæ, maxime indiget Confessarius, ut in multitudine Presbyterorum, idest seniorum prudentum, stet, & sapientiæ illorum ex corde conjungatur. II. meminerit illud S. Philippi Nerii, *che nel passare da uno stato cattivo al buono, non ci va consiglio; ma nel passare dal buono al migliore, vi vuol tempo, consiglio, e orazione*: ex Bacci *in ejus Vita l.* 3. *c.*9. Non est opus consilio ad suadendum alicui, ut a non frequentia transeat ad frequentiam Sacramenti: sed ad suadendum alicui, ut a frequentia Sacramenti transeat ad frequentiam majorem, præsertim quotidianam, opus est tempore, consilio, & oratione.

75. Hæc dicta sint ad laudem Divinissimi hujus Sacramenti, ad uberiorem animarum fructum, & ad Sacerdotum, quibus laboro, institutionem: quæ omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sapientiorum censuræ, & correctioni subjicio.

APPENDIX

De Communione in Viaticum.

76. PLacet hic mantissæ loco quæstionem satis practicam enodare: an videlicet qui semel Viatico refectus fuit, possit intra eamdem ægritudinem iterum non jejunus communicare?

77. ℞. afferendo sententiam Eminentissimi Cardinalis de Lugo *disp.*15. *de Sacram. sect.* 3. nec quidquam de meo addendo. Tantus igitur Auctor *loc. cit.* putat, id posse fieri, subscribendo sententiæ plurium Auctorum, quos ibi allegat. At, quia ejusmodi Auctores non conveniunt in determinanda distantia, quæ debet intercedere, ut possit iterum dari Communio absque jejunio intra eamdem infirmitatem; alii enim exigunt octo, vel decem dies, ut Suarez; alii septem, vel sex, ut Filliuccius, quem sequitur Diana 1. *tom. tract. de celebrat. Miss. resol.* 77. alii tertia die dari posse existimant, ut Ludovicus de S. Joanne &c. hinc Cardinalis citatus in hac Doctorum varietate dat pro regula firma & secura, directiva praxis, consuetudinem Fidelium: & cum jam, ipso teste, vigeat inter Fideles consuetudo, ut iterum detur Eucharistia infirmo non jejuno intra eamdem infirmitatem post aliquot dies, v. g. septem, vel octo; idcirco judicat, id in tali distantia posse fieri: cum vero, ipsomet judice, non sit sufficienter a Fidelibus approbatus usus dandi iterum Eucharistiam infirmo non jejuno proxima, vel tertia die; idcirco hoc ipse non approbat. Videatur de Lugo *loc. cit.* & la Croix *lib.* 6. *par.* 1. *de Euchar. n.*613. At præ cæteris videndus, atque omnino audiendus est Bened. XIV. qui in suo Opere *de Synodo Diæcesana lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 4. *&* 5. docet, *posse, & debere Sanctissimum Viaticum in eadem infirmitate iterum, & tertio administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes iterum cælestem illum panem esuriant*: quod & exemplo suo in postrema, qua decessit, infirmitate confirmavit.

DE

DE QUOTIDIANA CELEBRATIONE MISSÆ

OPUSCULUM III.

§. I.

Proponitur quæstio.

1. POstquam de venerabili Eucharistia, ut Sacramentum est, ac de ejus debita adoratione, ejusdemque usu crebrius, aut rarius laicis concedendo disseruimus; superest, ut de Eucharistia, quatenus est Sacrificium, aliquid dicamus. Profecto uberrima hic se se offerret disserendi materies, sive instituatur sermo de essentia incruenti Sacrificii, sive de multiplici fructu, qui ab eo dimanat, sive de obligatione Sacerdotum ad illud offerendum, sive de aliis quamplurimis, quæ ejusmodi Sacrificii oblationem vel comitantur, vel subsequuntur. Nihilominus in tanta rerum copia placuit illud dumtaxat in medium proferre, ac diligentius intueri; videlicet, an, & quatenus licitum & conveniens sit Sacerdoti Missam quotidie celebrare?

2. Rem hanc cur cæteris præhaberem, in causa fuit propositio quædam insignis Doctoris Martini Bonacinæ, qui *de Euch. disp.* 4. *q. ultim. p.* 7. *n.* 17. agens de Cappellano electo ad celebrandum quotidie, ait: *Obligatio Missæ quotidianæ imposita Sacerdoti intelligitur, salva decentia & honestate; alioquin videretur injungi obligatio ad rem illicitam*. Superius autem explicans, in quo sita sit hæc honestas & decentia, addiderat: *Honestas ac decentia postulat, ut aliquando Missæ Sacrum prætermittatur*. Ne igitur tanti Auctoris commotus sententia, Sacerdotum aliquis religioni sibi ducat Missam aliquando non prætermittere, idcirco rem hanc præ cæteris disserendam explicandamque suscepi.

3. Verum, antequam rem aggrediar, monitos vellem Sacerdotes, exploratum jam esse, eos ratione Ordinis, & officii sui Sacerdotalis, graviter obligari ad Missam aliquoties celebrandam, nisi rationabilis causa excuset. Ita S. Thomas *in* 3. *p. q.* 82. *art.* 10. Suarez *disp.* 80. *sect.* 1. Vasquez *disp.* 252. *cap.* 1. Wiestner *de celebr. Miss.* aliique, & patet ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. *de Sacrif. Missæ*. Quamvis vero non ita exploratum sit, quando, & quoties in anno ad id obligentur, videtur tamen rationi consentaneum, eam obligationem procedere in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus consueverunt Fideles communicare, ex S. Thoma. Proinde dissertatio vertetur, non circa quamcumque celebrandi frequentiam; aliquam enim vel obligatoriam, vel maxime sibi conducentem Sacerdotes pro certo habere debent: unde ajebat Suarez *loc. cit. Monendi sunt, ut frequenter celebrent; & sua-*

suadendum, *contrarium non esse in conscientia securum*: sed tota lis erit de frequentia quotidiana.

4. Quo ad differendi modum, eadem incedam via, qua in præcedentibus dissertationibus. Proponam enim casum, ac deinde quæstionem resolvam, enodatis, quæ contra positionem ipsam adductæ fuerint, difficultatibus. Omnia propemodum ex probatissimis Theologis, ex Ecclesiæ Patribus, ex Sanctorum exemplis depromam. Quidquid vero de meo, ut ajunt, penu protulerim, enitar, ne a communiori ac magis recepta Patrum, ac Theologorum sententia discedat.

§. II.

Proponitur, & resolvitur casus.

5. Casus est. Titius Sacerdos ab eo die, quo primum ad Aras operatus est, nunquam omisit incruenti hujus Sacrificii celebrationem, ductus ea qua erat in Deum religione ac pietate: verum intelligens, id a nonnullis minime probari, imo a timoratis quibusdam viris Sacrum aliquando prætermitti, conscientia motus, a Theologo sciscitatus est, an, & quatenus licite & convenienter Sacerdos quotidie celebret?

6. ℞. supponendo, sermonem esse de Sacerdote, qui nulla sit censura impeditus, qui sit in statu gratiæ, vel, si conscius sit peccati mortalis nondum confessi, sacramentalem de eo Confessionem præmittat, quique denium ea habeat extrinseca a sacris canonibus potissimum instituta ad Sacrificium rite ac reverenter peragendum, v. g. jejunium naturale, vestes sacras &c.

7. Item supponendo, sermonem esse de quotidiana celebratione excludente aliquot dies juxta Ecclesiæ ritum impeditos, non autem de includente eos dies; nam certum est, nos prohiberi sub mortali celebrare feria sexta in Parasceve, ut habent Hurtado *de Sacr.* Suarez, Vasquez, Tanner, aliique apud Busembaum: & quamvis Diana, Palaus, aliique probabiliter docuerint, posse privatim celebrari Sabbato Sancto, & feria quinta in Cœna Domini, ex variis tamen nuperis declarationibus, ac particularibus legibus alicubi saltem id non licet.

8. Item supponendo, non adesse præceptum ullum Superioris hic & nunc ex justis causis prohibentis alicui sibi subdito sacrificare; nam certe tunc subditus obedire teneretur, ac locum haberet illud: *Melior est obedientia, quam victimæ*. 1. *Reg*. 15.

9. His suppositis, videtur, non esse licitum & conveniens, per se loquendo, celebrare quotidie. I. Quia Concilia urgendo, & commendando Sacerdotibus frequentiam sacrificandi, nunquam expresse commendarunt, ut id fieret quotidie, sed vel omnibus diebus Dominicis, & festivis solemnibus, ut voluit Concilium Rhotomagense, celebratum *anno* 1581. vel omnibus diebus solemnibus, & Dominicis, *& sæpius, si fieri possit*, ut voluit Rhemense *can*. 8. vel *ter in hebdomada, ac sæpius*, si Sacerdos sit Curatus, ut voluit

Aquen-

Aquense: ac proinde conjectura pronum est assequi, Concilia non existimasse expedientem usum quotidiani Sacrificii.

10. II. Quia in Templo S. Sophiæ apud Constantinopolim, uti narrat Card. Baronius *ad annum Christi* 1054. quamvis plurimi adessent Sacerdotes, non cœptum est sacrificare quotidie usque ad eum annum: unde inferre possumus, apud Græcos per plura sæcula non viguisse praxim celebrandi quotidie nec respective ad Sacerdotes singulares, nec respective ad integras Ecclesiasticas communitates: imo, teste Raynaudo *tom.* 16. apud Latinos plerique olim religioni sibi ducebant celebrare quotidie.

11. III. Quia apud Religiosas quasdam Familias, puta apud Carthusianos, teste Petro Blesensi, usus olim viguit non celebrandi quotidie: imo citatus Auctor *in epist.* 86. agens cum Alexandro Carthusiano, qui nutabat in sua vocatione, ex eo quod non poterat quotidie celebrare, negat, eam quotidianam sacrificationem esse religionem; vocat vero superstitionem; multisque argumentis ductis ex periculo non dijudicandi Corpus Domini, & ex summa munditie ad Sacrificii celebrationem requisita, confirmat, non esse quotidie celebrandum, ac jure eam praxim viguisse apud Carthusianos.

12. IV. Quia S. Franciscus de Assisio videtur fuisse in hac sententia, quod minime conveniret Sacerdotibus quotidiana celebratio; siquidem *in epist.* 12. *ad Sacerdotes totius Ordinis* sic habet: *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum celebretur Missa in die secundum formam S. Rom. Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sic sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius &c.*

13. V. Quia Theologi Morales admittunt, Cappellanum, obligatum celebrare quotidie, posse semel in hebdomada vacare ob reverentiam debitam tanto Sacramento, seu, ut ipsi ajunt, ob honestatem, & decentiam. Ita Gavantus *de Rub. Mis. part.* 3. *tit.* 12. *num.* 17. Bonacina, Tamburinus, Toletus, aliique apud ipsos videndi. Ergo juxta hos Doctores minus conveniens est quotidiani Sacrificii usus.

14. VI. Demum quia nos in Opusculo præcedenti diximus, regulariter non esse concedendam laicis Eucharistiam plus, quam bis, aut semel in hebdomada: cum autem non solum eadem, sed major etiam requiratur in Sacerdote dispositio ad Sacrificium, sequitur, si cohærenter loqui velimus &c.

15. Nihilominus ajo, per se loquendo, licitum ac maxime conveniens esse Sacerdoti quotidie celebrare; per accidens vero in aliquo raro casu posse esse aliquando religiosum, aliquando etiam obligatorium eidem Sacerdoti, unum, vel alterum diem, aut etiam ulterius, juxta prudentis Confessarii consilium, a sacrificando abstinere.

16. Probo hoc per partes. Et primo quidem, quod, per se loquendo, licitum, ac maxime conveniens sit Sacerdoti quotidie celebrare, suadetur tum praxi SS. Virorum, tum sententia Patrum, ac Doctorum, tum ratione ipsa ex utilitate tanti Sacrificii. Suadetur praxi SS. Virorum; nam a primis nascentis Ecclesiæ sæculis usus invaluit apud pios Sacerdotes celebrandi quoti-

die.

die. S. Andreas Apostolus testatus est de se ipso: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie*. De S. Petro hoc affirmat Simon, antiquus Auctor Græcus, apud Turrianum *lib. 8. de dogm. Car.* Idem factum a S. Cassio Narniensi Episcopo, narrat cum laude S. Gregorius 3. *dialog. c. 6.* S. Basilium quotidie Sacrum fecisse, commemorat Amphilochius *in ejus Vita cap. 6.* Hoc idem affirmat S. Dionysius de S. Carpo *in epist. 1. ad Demophylum*; & S. ipse Dionysius ne in carcere quidem a Sacrificio abstinebat, ut testatur *in ejus Vita* Halduinus. Tribuit item S. Ambrosio quotidianam Missæ celebrationem Baronius. Item Scriptor Vitæ S. Laurentii Justiniani ait, Sanctum Virum, etiam valde provectum ætate, quotidie sacrificasse: imo arguere solitum refert eos Sacerdotes, qui, secluso gravi impedimento, quotidianum Sacrificium omitterent. De S. Francisco Borgia Soc. Jesu legitur in lectionibus Breviarii: *Nunquam a sacrificando abstinuit*. De S. Cajetano Thienæo memoriæ proditum est, se Neapoli olim Romam contulisse ad hunc dumtaxat finem, ut Prælatum quemdam de non omittendo quotidiano Sacro commonefaceret. Unde, talem fuisse praxim plurium SS. Virorum variis ac diversis temporibus, certum est. Accedit etiam, plures Religiosas domos ex instituto & ex approbatis Regulis habere id in usu. Accedit, id olim in usu fuisse apud Monachos: siquidem Cassianus *l. 6. de spir. forn. cap.* 8. approbat Monachorum suæ ætatis quotidie sacrificantium consuetudinem. Quamobrem ex praxi constat, quotidianum Sacrificium licitum per se, & expediens esse.

17. Suadetur id ipsum ex sententia Patrum, & Doctorum. Nam tritum est illud Venerabilis Bedæ: *Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, se ipsum medicina & remedio*. Insuper S. Hieronymus *lib. 3. adversus Pelag.* vocat Missam *quotidianum Corporis Christi Sacrificium*: quod idcirco dictum existimat Gonzalez, quia congruum censebat Sanctus Doctor, tantum Sacrificium quotidie peragi a Sacerdotibus. Imo Doctores quidam Canonistæ, ut refert Arch. apud Sylvestrum *v. Missa q. 7.* docent, peccare mortaliter eum Sacerdotem, qui ex negligentia omitteret quotidie celebrare, innixi dicto B. Ambrosii, scilicet: *Ego, quia quotidie pecco, quotidie debeo accipere medicinam: de Conf. dist. 2. Can. Si quoties*. Tandem eximius Suarez *disp. 80. sect. 2. tom. 3. in 3. part.* aperte asserit: *Per se loquendo, & seclusa speciali prohibitione Ecclesiæ, non solum est licitum Sacerdoti quotidie sacrificare, verum etiam ex se melius est, magisque consulendum*. Unde ex doctrina Patrum, & Doctorum, per se licitum & conveniens est quotidie sacrificare.

18. Suadetur id ipsum ratione. Nam quotidie sacrificare, non esse per se illicitum, constat ex eo, quod id non sit ex natura sua malum, sed bonum, neque sit aliquo jure positivo prohibitum. Idem vero esse expediens ac conveniens, constat ex eo, quod honor maximus per Sacrificium incruentum exhibetur Deo, ac fructus uberrimus non in solum dumtaxat sacrificantem, sed in universum etiam Orbem terrarum inde redundat, ut infra videbimus.

19. Pro-

19. Probo jam alteram assertionis partem, nempe per accidens in aliquo raro casu posse esse religiosum abstinere a quotidiano Sacro peragendo. Nam timor aliquis reverentialis, ut recte notat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 2. n. 5.* potest esse actus elicitus a religione, v. g. timor de eo, ne quis deficiat in debito cultu Dei. Hinc est, quod, si quis timeat ob urgentem & gravem aliquam occupationem, ne irreverenter & indevote Missam celebret, sicque deficiat a debito cultu Dei, & idcirco Missæ celebrationem omittat, eliciet actum religionis. Unde idem Suarez *loc. cit.* expresse docet, quod aliquando *abstinere a frequentia Communionis possit esse actus religionis, & ab ea elicitus, sicut odisse irreverentiam Dei.* Verum sedulo cavendum est, ne sub specie ac prætextu nolendi deficere a debito cultu Dei per irreverentiam, studeamus commoditati propriæ, qua nolimus a curis temporalibus recedere, ac paulisper in nosmetipsos nos colligere, ut Deo vacemus, & Sacrum debite peragamus. Propterea consilium prudentis Confessarii ad id postulandum & exquirendum erit in casu aliquo occurrente, ne vanus sit ac palliatus noster timor. Accepimus ex Historiis, S. Petrum Cœlestinum per quinquennium a sacrificando abstinuisse, eo quod reformidaret (uti refert Petrus de Amiaro *l. 1. Vitæ cap. 7.*) tractare tanti mysterii Sacramentum; sed prodigiose fuisse errorem edoctum: nam de nocte venit ad eum in visione quidam Abbas nuper defunctus, quique illi habitum Religiosum contulerat; isque illi Missam cum timore & tremore dicere persuasit, ac statim disparuit. Ex quo deprehendes, rarum esse casum, in quo religiose a sacrificando abstineas.

20. Demum probo tertiam assertionis partem, scilicet aliquando esse obligatorium a quotidiano Sacrificio abstinere. Nam, si quis Sacerdos (quod Deus avertat) paulo ante, v. g. nocte, aut die præcedenti peccaverit, præsertim peccato carnali externo, tunc ille, etiamsi pœniteat, & confessus sit, regulariter non evitabit veniale peccatum accedendo ad sacrificandum die subsequenti. Ita Card. de Lugo *de Euch. disp. 15. sect. 1.* ubi sic habet, loquens de talibus peccantibus, ac deinde pœnitentibus: *His quidem regulariter expedit injungere, ut ea die, qua culpabiliter polluti sunt (quod idem de copula illicita intelligitur), abstineant; vix enim accedere possunt absque irreverentia, quæ sit culpa venialis, nisi forte ratio specialis dictet, esse accedendum &c.* & infra addit: *Raro permittendus videtur aliquis celebrare eadem die post copulam illicitam, licet Confessionem præmiserit.* Unde quamvis ad celebrandum non prærequiratur, quod quis *condignam de delictis suis pœnitentiam egerit*, sicuti constat ex propositione 22. damnata ab Alexandro VIII. nec prærequiratur *amor purissimus*, sicuti pariter constat ex propositione 23. ab eodem Pontifice damnata; tamen ex lege naturali, saltem leviter obligante, prærequiritur regulariter, ne quis eadem die, aut die immediate antecedenti peccaverit, peccato præsertim carnali externo. Qua in re non facile audiendi sunt allegantes, & obtendentes necessitatem celebrandi vel propter Cappellaniam, vel propter indigentiam eleemosynæ; siquidem oneri Cappellaniæ ipsi possunt vel per alium satisfacere, vel possunt, juxta multo-

rum sententiam, semel in hebdomada vacare, ac tunc vacent: indigentia vero eleemosynæ unius, vel alterius diei, raro erit tanta, ut præhabenda sit ejusmodi reverentiæ debitæ tanto Sacramento. Profecto olim sacri canones, uti habetur *in Can. Presbyter dist.* 82. nonnisi post annum & dimidium gravis pœnitentiæ permittebant, ut Sacerdos in fornicationem lapsus, particeps fieret Corporis & Sanguinis Domini: nunc autem nonne esset detestabilis inconvenientia, si quis, ut Sancti Bernardi verbis utar, *auderet intingere in Sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor!) carnes meretricias attrectarit?*

21. Stat igitur, per se loquendo, licitum & conveniens esse quotidie celebrare; per accidens vero aliquando religiosum, aliquando etiam obligatorium esse a quotidiana celebratione abstinere.

22. Neque obstant rationes in contrarium supra adductæ. Non prima; nam ex eo quod Concilia, urgendo & commendando frequentiam sacrificandi, non expresserint, ut id fieret quotidie a singulis Sacerdotibus, nequaquam deducitur, quotidianum Sacrificium non esse magis conveniens, sed non esse obligatorium, stando in jure Divino, ac jure positivo communi, & insuper esse onus satis grave respectu omnium. Deducitur igitur, non esse obligatorium; quia certe id expressissent. Et propterea conveniunt Theologi apud Suarez *de Sacr. disp.* 80. *sect.* 2. non esse obligatos singulos Sacerdotes ad quotidianum Sacrificium: quare, si id ipsi non præstent, relinquunt quidem quod per se est perfectius, sed non delinquunt. Item deducitur, quotidianum Sacrificium esse onus satis grave respectu omnium; & idcirco Concilia, legem dum ferrent pro tota communitate, ejusmodi frequentiam non præscripserunt: siquidem lex humana debet esse de re moraliter possibili, nisi commune bonum aliud exigat. Hinc Doctores quamplures ajunt, quod sicubi adesset obligatio celebrandi quotidie, ea intelligenda sit moraliter, & regulariter; quia alias esset onus intolerabile: ex Bonacina *de Euch. disp.* 4. *q. ult. p.* 7. Tamburino *de Sacr. lib.* 3. *cap.* 3. aliisque. Dixi, nequaquam deduci, quotidianum Sacrificium non esse magis conveniens; nam ex eo quod legislator aliquid non præscribat, nequaquam infertur, illud non esse per se magis conveniens. De facto S. Paulus, *De virginibus*, inquit 1. *Cor.* 7. *præceptum Domini non habeo*; & tamen ipse matrimonio virginitatem præfert.

23. Ad 2. esto ita invaluerit usus in eo augustissimo Templo Constantinopolitano propter aliquas circumstantias fortasse talem usum exigentes, certe apud Græcos quotidianum Sacrificium in more positum legimus; nam S. Joannes Chrysostomus *hom.* 5. *in epist. ad Ephes.* scribit, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam: unde ex ea historia solum confirmatur Theologorum sententia asserentium, stando in jure Divino, non esse singulis Ecclesiis præceptum quotidianum Sacrificium: quamquam hodie ex jure positivo communi doceant, in singulis Ecclesiis Cathedralibus, Parochialibus, & Conventualibus debere quotidie Sacrificium Missæ offerri, si conveniens sit, seu mediocris Sacerdotum numerus. Ita Doctores *ex Cap. Cum creatura, de celebrat. Miss.* Quod vero addebatur de Latinis quibusdam religioni sibi ducen-

tibus

tibus quotidianum Sacrificium, non facit contra nos; nam, cum nesciamus, quinam isti fuerint, qua doctrina, & quibus occupationibus, dictamen conscientiæ, quod sibi ipsi efformaverant, non potest nobis pro regula ad operandum inservire.

24. Ad 3. Carthusianorum, quos adducit Blesensis, vetus ille usus postea correctus est 2. *p. Statutorum cap.* 7. & idem insinuatur in antiqua collatione Statutorum *cap.* 1. ut advertit Busæus *ad epist.* 86. *Blesensis*. Quæ vero Petrus Blesensis contra quotidianum Sacrificium protulerit, nequaquam sunt attendenda per se, & universaliter; nam intendebat ipse in suscepto vitæ consilio confirmare eum Carthusianum: unde ab uno extremo, in quo tentabatur ille Novitius, visus est ipse in alterum, dicendo, & exaggerando, vergere, more Patrum, qui unam hæresim impugnantes, ad oppositam videntur aliquando accedere.

25. Ad 4. quo ad S. Francisci de Assisio epistolam, respondet Joannes Eckius, epistolam illam non agnosci a Fratribus Ordinis Minorum pro vera S. Francisci epistola. Waddingus autem *ad eum locum* ait, S. Patriarcham agere tantum de Missa conventuali. Placet responsio Raynaudi ingenue fatentis, S. Franciscum pro ea qua erat Christiana humilitate, sicuti ea ductus virtute, noluit sibi Sacerdotium, ita eadem timuisse, ne plerique suorum minime essent comparati ad quotidie sacrificandum: ac propterea &c.

26. Ad 5. fateor, Theologos quamplures docere, Cappellanum obligatum toto anno Missas quotidie celebrare, eum posse intermittere, seu vacare semel in hebdomada; at nego, rationem eam esse, quam ex iis nonnulli adducunt, scilicet ne faciant rem illicitam: sed ratio est, quia celebrare toto anno sine ulla intermissione, onus nimis grave est; quod imponere fundator minime præsumitur, cum tale onus redundet semper in Sacerdotem, directe quidem, si ipse sit electus, indirecte, si electus sit locus, ut in eo a Sacerdote celebretur: semper enim celebratio quotidiana Sacerdoti incumbet. Cæterum puto, Bonacinam, aliosque fuisse usos ea ratione de illicito, non quod putaverint, quotidianum Sacrum rem esse per se illicitam, sed quod putarint, attenta fragilitate humana, per accidens in plerisque propter indispositionem fieri illicitam.

27. Ad 6. optime respondet P. Suarez, cujus verba exscribam: *Licet laicis regulariter non sit consulendum, ut quotidie communicent, Sacerdotibus autem consulendum est, ut quotidie sacrificent; est enim id, per se loquendo, melius. Nam munus sacrificandi, non est privatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ; & ideo, dummodo indignus non sit, & moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis sit imperfectus, non debet ab hoc munere cessare. Accedit etiam, quod, cum sit specialiter ad hoc munus consecratus, & habet proprium ac peculiare jus ad offerendum, & habet paratum speciale Divinum auxilium, ut sancte conficiat. Per hoc tamen non intendimus negare, quo minus ex reverentia, & timore, aliquo die interdum hoc munus intermittere, possit esse & bonum, & utile, & alicui fortasse consulendum, juxta diversas personarum conditiones, & varias Spiritus*

 San-

Sancti divisiones gratiarum. Hactenus Suarez *disp.* 80. *sect.* 2. *de Sacr.* Ex quibus habes disparitatem laicos inter & Sacerdotes. Hæc autem Suaresii disparitas magis apparebit ex sequentibus.

§. III.

Ad quid nobis datum sit hoc Sacrificium?

28. Ut plane sibi persuasum habeant Sacerdotes, esse, per se loquendo, melius, ut ipsi quotidie sacrificent, quamvis non sit regulariter laicis consulendum, ut ipsi quotidie communicent, ut ajebat Suarez; imo, ut docet Vasquez *disp.* 232. non eam ex necessitate in Sacerdote ad celebrandum quotidie requiri sanctitatem, quam ad communicandum quotidie, aut bis in hebdomada, in laicis requirimus: ut, inquam, id sibi Sacerdotes persuasum habeant, ac propterea frequenter celebrent, illud intelligant oportet, quod citati Doctores recte expendebant, scilicet Sacerdoti convenire munus sacrificandi non tantum in suam, sed etiam in populi utilitatem: quæ quanta sit, pronum erit dignoscere, investigando, ad quid nobis datum sit hoc Sacrificium? de quo statim.

29. Pius æque ac doctus vir P. Leonardus Lessius *in lib.* 12. *de Perfectionibus Divinis* censet, datum esse hoc Sacrificium potissimum ad quatuor. Et primo quidem ad dignitatem religionis Christianæ: *cum enim hæc religio sit eminentissima*, inquit ipse, *decuit etiam, illam ornari, vel potius perfici eminentissimo Sacrificio*. Et quidem eminentissimo Sacrificio de facto ornatur; siquidem Missa & est Sacrificium, & maximam quamdam habet excellentiam & dignitatem. Est Sacrificium; nam in confectione Eucharistiæ verum & proprium Sacrificium offerri docuit Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. *&* 2. *& can.* 1. *de Sacrif. Miss.* Alias Ecclesia Catholica nullum haberet Sacrificium; siquidem nec oves, nec boves in Sacrificium offert, neque sub hac ratione incensum adolet, sed ut Deum adoret, & excellentiam illius recognoscat. Accedit, quod sancta illa Hostia, quæ in Missa offertur, ea ratione offertur, ut protestemur supremum Dei dominium in mortem & vitam nostram, & summum ac supremum cultum illi tanquam primo principio & supremo fini nostro exhibeamus. Maximam quamdam habet excellentiam; nam res in eo oblata, est infinitæ dignitatis; siquidem Deo offertur ipse Christus Dominus sub speciebus panis & vini. Modus offerendi, in se, & quo ad substantiam suam, ut sic dicam, est maxime supernaturalis & Divinus; nam offertur illa sacrosancta Hostia, quando vi verborum Consecrationis Corpus & Sanguis Christi ponuntur seorsim, tanquam rei occisæ & immolatæ, Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini: quo ad sensibilem vero actionem est simplicissimus, mundissimus, & facillimus: offerentes autem licet sint Sacerdotes tanquam Christi ministri, tamen præcipuus ac principalis offerens est ipsemet Christus; tum quia ipse Sacrificium hoc instituit, illique virtutem & efficaciam suis meritis concessit; tum quia credibile est, eum singula Sacrificia, dum actu fiunt, Patri suo offerre actu elicito, ut notat Suarez *disp.*

disp. 77. *sect.* 1. aliique. Hinc prima ratio Sacrificii cum sit ad tribuendum Deo honorem illi proportionatum, quantum homo potest, sequitur, hanc rationem in hoc Sacrificio cumulatissime reperiri; nam, ut recte expendit Suarez, *ad hunc finem aptissima sunt omnia, quæ in hoc Sacrificio interveniunt, præsertim principalis offerens, res oblata, & modus offerendi*. Unde non est mirum, quod omnia vetera sacrificia abolita sint post institutionem hujus in lege nova; nam, ut recte ait S. Leo *serm.* 8. *de pass. Domini*, *nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una Corporis, & Sanguinis tui implet oblatio*. Viderint proinde Sacerdotes, ne tantum Sacrificium offerre negligant, obtendentes indispositionem, sed revera laborem se se disponendi reformidantes.

30. II. Datum est hoc Sacrificium ad gratiarum actionem, ut habeamus, quo dignas Deo gratias perpetuo agamus pro ingentibus ipsius in nos beneficiis, maxime redemptionis, ex Lessio *ibid.* & traditum est a Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. *de Sacrif. Missæ*. Hinc Irenæus *lib.* 4. *contra hæreses cap.* 32. expresse dicit, instituisse Christum hujus Sacrificii oblationem, *ne nos ingrati esse Deo videremur*. Et sane innumera ac maxima sunt beneficia, quibus nos Deus obstrinxit. At nulla potest esse major ac præstantior gratiarum actio, quam quæ hujus Sacrificii oblatione perficitur. Nam ad gratiarum actionem hæc potissimum pertinent: 1. quod homo acceptum beneficium commemoret, & recognoscat: 2. quod retribuat loco & tempore secundum suam facultatem. At, quæso vos, qua re alia magnitudinem beneficiorum Dei magis commemorare, ac cognoscere possumus, quam hoc Missæ Sacrificio, quo testamur, ipsum esse auctorem redemptionis, & salutis nostræ, ipsum misisse Filium in carnem ad nos salvandos, & bonis omnibus cumulandos, ipsius voluntate pro nobis mortem suscepisse, ipsam denique mortem Filii commemoramus, & veluti ob oculos ponimus? Rursum quid præstantius, aut gratius offerre Deo possumus pro acceptis beneficiis, quam Hostiam hanc immaculatam, ipsum Dei Filium Unigenitum? Enimvero opportunus in hanc rem detorquerem verba David *in Psalm.* 115. Cum nihil habeam præstantius, quod offeram Deo meo, inquiebat ipse, pro tam multis bonis quæ retribuit mihi, *Calicem salutaris accipiam*. Scio, hunc locum magno Patrum consensu intelligi de Calice patientiæ, & tribulationis; sed recte iis verbis utar, & recte verborum sententiam exponam de hoc admirabili Sacrificio. Cum nihil habeam præstantius, quod Deo retribuam, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*.

31. III. Datum est ad peccatorum propitiationem: nam Tridentinum *cit. sess.* 22. *can.* 2. aperte docuit, hoc Sacrificium non solum propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus. Hinc S. Cyprianus *in Serm. de Cœna Dom.* dicit, Eucharistiam esse holocaustum ad purgandas iniquitates. S. Ambrosius *lib.* 1. *de officiis cap* 48. de Eucharistia loquens, *Offert*, inquit, *Christus se ipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat*. At sciscitaberis, quomodo, & qua ratione hoc Sacrificium peccata dimittat? R. communem sententiam esse, hoc Sacrificium non

non habere vim remittendi peccatum mortale instar Sacramenti, ita ut in eo, qui sola attritione dispositus est, mortale peccatum deleat, sicut Sacramentum Pœnitentiæ: deinde neque vim habere hoc modo remittendi venialia, aut conferendi gratiæ, & justificationis augmentum: sed tantum vim habere impetrandi auxilium gratiæ, quo & justificari a peccatis mortalibus, & venialibus, & in justificatione sua homo crescere possit. Unde Tridentinum *cit. sess. 22. cap. 2.* docuit: ***Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam*** (excitantem), ***& donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.*** Non igitur intelligendum est hoc Sacrificium immediate per se delere peccata, sed mediate, quatenus scilicet impetrat veram illorum contritionem, & inspirationem ad recte pœnitendum specialiter de peccatis cognitis, generaliter de oblitis, vel ignotis. Quandoque vero hic spiritus pœnitentiæ datur tempore Sacrificii, quod pro aliquo peccatore offertur; quandoque alio tempore opportuno, prout Deus providet, intuitu tamen Sacrificii. Sic multi post multa crimina convertuntur speciali auxilio Dei, & nesciunt, virtute Sacrificii Missæ, impetrantis tale auxilium, id fieri. Quandoque aliqui non convertuntur; quia auxiliis a Deo datis non cooperantur, sed abutuntur.

32. Præterea hoc Sacrificium dicitur peccata dimittere; quia, remissa culpa, & pœna æterna per Sacramenta, & etiam culpis venialibus deletis, sæpe ingens debitum pœnæ temporalis restat luendum. Ad hoc autem debitum exsolvendum confert quammaxime hoc Sacrificium; applicat enim satisfactionem Christi, uti habet Tridentinum *cit. sess. 22. cap. 1. & 2.* Hinc de Petro quodam pio juvene, qui Missis interesse, ac ministrare consueverat, narrat Cæsarius *lib. 8. mir. c. 13.* *Quadam etiam vice cum ministraturus Missæ Domini Caroli Abbatis] quondam Vilariensis confessionem dixisset, & absolutionem devotius acciperet, audivit vocem de Cœlo dicentem sibi: Dimissa sunt omnia peccata tua.* Caveant proinde Sacerdotes, ne per negligentiam ac socordiam celebrare omittentes, se ipsos, aliosque privent beneficio tam grandi remissionis peccatorum.

33. Demum datum est hoc Sacrificium ad impetrationem omnis generis beneficiorum, etiam temporalium, quatenus saluti conducunt. Si enim, inquit Lessius, precibus Sanctorum ea sæpe obtineri possunt, quanto magis hoc Sacrificio, in quo id, quod præ omnibus Sanctis Deo est acceptius, & ipse fons sanctitatis cum omnibus suis meritis offertur? Hinc Liturgiæ omnes Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, non semel, inter sacrificandum, orandum præcipiunt pro pace, pro copia fructuum, & pro aliis id genus temporalibus beneficiis. Ac de facto plura a Deo per hoc Sacrificium impetrata esse sacræ testantur historiæ. S. Prosper *lib. de prædictionibus Dei* scribit, suo tempore oblatum fuisse Sacrificium Missæ pro dæmoniaca, atque eam a dæmonis vexatione fuisse liberatam. S. Gregorius *hom. 37. in Evang.* & Beda *4. lib. Hist. Angliæ* scribunt, diversis temporibus idem miraculum contigisse, ut, cum Sacrificium Missæ offerretur pro homine captivo in alia regione posito, & ignorante quid pro se fieret, ejus vincula Divinitus solverentur ipsa hora Sacrificii. Cum itaque innumera nos circumstent in hoc exilio mala,

cum

cum plurimis indigeamus bonis, incuria esset acriter reprehendenda, hoc Sacrificium omittere, quo illa possumus avertere, hæc vero nobis aliisque comparare.

34. Stet igitur illud, simplices Sacerdotes etsi nulla lege ad quotidianam celebrationem astringantur, nihilominus illam maxime eos decere, tum ob Dei cultum & honorem, tum ob Ecclesiæ fructum, tum ob cujusque utilitatem privatam ac publicam, temporalem ac spiritualem. Quamobrem sibi incumbere Sacerdotes intelligant ita vitam moresque componere, ut quotidie merito celebrare possint: ad idque conducet tum sæpius in hebdomada confiteri, tum singulis diebus aliquid spatii rerum cœlestium contemplationi tribuere. Profecto indispositionem ad tantum Sacrificium frustra excusaverint, si dispositionem ultro ipsi neglexerint. Audiant ex Baronio *tom. 12.* qua ratione ad quotidianum Sacrificium se compararet spectatissimus vir Matthæus Cardinalis Episcopus Albanensis: *Servabat in palatio instituta claustri, & mundo expositus, firmo & longo usu, velut innato religionis proposito, a sæcularibus vanitatibus se quasi septo firmissimo secernebat; cohibebat se intra se, nunquam (sicut de quodam dictum est) magis solus, quam cum aliis, nunquam magis negotiosus, quam cum solus erat. Præferebat cunctis operibus suis, omnibusque sanctis studiis, sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum, a quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua post Summum Pontificem omnium Ecclesiarum sibi imposita sollicitudo eum retrahere poterat.*

35. Utinam pium hoc exemplar imitantes nos Sacerdotes, & Sacrificium frequentemus, & debitam ad Sacrificium dispositionem afferamus.


ADDITIO.

36. UT satisfaciam Typographo requirenti uberiorem materiam ad absolvendum hoc Opusculum juxta regulas suæ artis, nonnulla exscripsi ex Gobato *tract. 3. de Missæ Sacrificio num.* 448. Quærit igitur hic Auctor, an, & quæ censuræ arceant Sacerdotem a jure sacrificandi? Cui quæsito ipse sic respondet: I. illum arcere excommunicationem majorem, juxta *Cap. Cum illorum de sent. excomm.* omnesque Doctores post S. Thomam *q. 52. art. 9.* observantem, esse etiam nefas, audire Missam excommunicati, sicut & concubinarii: item excommunicationem minorem; privat enim hæc perceptione Sacramentorum, ex textu *in Cap. penult. de sent. excomm.* II. respondet sic: *Suspensio a Beneficio non utique privat jure sacrificandi; privat autem suspensio ab Ordine, Cap. Litteras, de temp. ordinat.* & Doctores *ibid.* III. sicuti interdictum personale, seu latum in personam directe, privat jure sacrificandi quocumque loco, ita locale jure sacrificandi in loco, qui interdictus est, Doctores *in Cap. Non est vobis, de sponsal. Cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* IV. degradatio, ac depositio, licet non sit proprie censura, quandoquidem est quidem pœna, sed non est medicinalis, aufert tamen jus ad Altare, *Cap. 2. de pœnis in 6.* Doctores cum Palao *de Cens. disp. 8. punct. ult.*

37. Irregularitas quoque licet non sit proprie censura, attamen irregularis ad

ad Ordines suscipiendos, vel exercendos, peccat utique mortaliter sacrificando: Doctores omnes tractantes de hoc argumento. Licet autem quis irregularis suscipiat vel bona, aut mala fide Ordinem Sacerdotalem, in eoque bona, aut mala fide semel, aut sæpius exequatur Divina, non tamen idcirco incurrit ullam censuram, sed prior quasi suspensio identidem permanet. Ita ego abhinc decennium respondi interrogatus in casu, qui tunc contigerat; traditque aperte Filliuccius *tract.* 19. *cap.* 3. *num.* 69. Ratio est; quia in toto jure non reperitur ulla nova pœna decreta huic delicto: sicuti etiam in recentissimo eventu resolvi cum communi Doctorum apud Avilam *de Cens. p.* 3. *disp.* 5. *dub.* 7. *not.* 10. Religiosum, qui ex errore prorsus inculpabili fuerat ordinatus Sacerdos paulo ante legitimam ætatem, non potuisse primam Hostiam Deo offerre, nisi in legitima ætate, aut per dispensationem Pontificis &c.

38. Quærit idem Doctor, an qui per contritionem perfectam resipiscit a peccato, ob quod erat percussus anathemate, licite peragat Sacrum, priusquam sit absolutus a Confessario, vel a Judice fori externi? Respondet 1. non licite peragere publice, si excommunicatio fuit publice nota; dat enim non levem causam gravis scandali. Respondet 2. imo nec privatim: Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 9. *sect.* 3. expresse dicens, fore absurdum, si quis hoc diceret. Consentit in hoc Tannerus *cit. disp.* 6. *quæst.* 19. *num.* 112. quamvis videatur contradicere Navarrus *in Ench. cap.* 27. *num.* 18. Ratio est; quia, manente causa, manet effectus. Atqui certum est, quod ille sit nihilominus in foro Ecclesiæ excommunicatus, cujus excommunicationis effectus est privatio Sacrificii &c. Hactenus Gobatus, quem vide, si lubet.



DE

DE UBERIORI FRUCTU SACRIFICII

IN LOCO SACRO, QUAM IN CAPPELLA PRIVATA.

OPUSCULUM IV.

1. UM pro ea qua est benignitate Sedes Apostolica recte aliquibus indulgere consueverit, ut in loco non sacro Missas celebrent, vel respective celebrare faciant, illud cavendum est, ne qui ejusmodi privilegio potiuntur, in ipsius usu modum excedant, & ne præcepti loco habere videantur, quod in unius vel necessitatis levamen, vel alterius justæ causæ favorem gratiose permittitur.

2. Facturum propterea me operæ pretium existimavi, si pro viribus eniterer, ut ejusmodi privilegiarii parce ac discrete permissa sibi facultate utantur, & sacrosancto Missæ Sacrificio in Ecclesia, quoad fieri potest, devote ac frequenter intersint. Quod sane ut assequar, opportunum arbitror, iis omnibus ostendere, uberiorem esse fructum, qui ex Sacrificio in Ecclesia & loco sacro peracto descendit, quam qui ex eodem in privatis ac domesticis Oratoriis celebrato sive ad celebrantem ipsum, sive ad præsentes dimanat.

3. Et quidem triplici unius Opusculi Parte rem totam conficiam. In prima præliminares quasdam hac super re notiones proponam. In altera id ipsum, quod intendo, curabo, ut evincam. Postremo difficultatibus, quæ sese offerre poterunt, copiose satisfaciam.

PARS PRIMA.

NOTIONES DE LOCO SACRIFICII PROPONUNTUR.

4. SEmper in Ecclesia Dei custoditum fuit jam inde ab Apostolorum tempore, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium in Ecclesia, vel loco sacro, ad eum finem peculiariter deputato, perageretur; nam sicuti in lege veteri nefas erat extra Templum Hierosolymitanum victimas immolare, uti expendit Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 19. *Liturg.* ita in lege gratiæ sacra quædam loca Apostoli primum, ac deinde eorum successores deputarunt, extra quæ tremendum hoc Sacrificium offerre, jure communi & ordinario minime liceret. Locuples rei hujusce testimonium dat S. Paulus 1. *Cor.* 11. *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare:* & infra: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam*

Dei contemnitis? Ubi nomine Ecclesiæ, non Fidelium congregationem, sed locum illum, seu Templum intelligit, in quo Fideles ad Christi Corpus offerendum & manducandum conveniebant, teste Chrysostomo, Ambrosio, & reliquis Auctoribus Græcis & Latinis apud Suarez *de Euch.disp.*81.*sect.*1. Præterea ostendit Baronius *ad annum Christi* 57. Romæ & alibi fuisse ab Apostolis erectas ac deputatas Ecclesias, in quibus Fideles ad Divina mysteria se reciperent: quod & ejusdem temporis Scriptoris S. Ignatii Martyris *ep.*6. 11. *&* 13. expressis testimoniis confirmatur. Quinimo, antequam ejusmodi Ecclesiæ essent erectæ, adhibebantur quidem ad talem effectum privatæ domus, sed in iis ampliora earum membra, quæ cœnacula dicebantur, specialiter erant constituta ex legitima auctoritate, quæ ejusmodi ministerio inservirent; unde non privata quædam Oratoria, sed interiores quodammodo Ecclesiæ, uti nunc sunt in aliquibus urbibus heterodoxis, ea esse videbantur. Post erectas autem Ecclesias, in domibus Sacrificium celebrare jure ordinario non licuit, nisi urgente necessitate; etenim S. Felix IV. qui fuit atavus S. Gregorii, & floruit *anno Christi* 526. testatur in sua epistola decretali *de Ecclesiarum, & Altarium consecratione*, antiquis canonibus prohibitum fuisse, ne sacra Missarum solemnia alibi, quam in locis Deo sacratis, magna necessitate excepta, ullus celebrare præsumeret.

5. Et quidem merito, tum ad debitam reverentiam hujus tremendi Sacrificii, ut cum debito honore tractaretur, tum etiam ob majorem Fidelium devotionem. Ex quo inferunt Theologi, transgressionem hujus præcepti ex suo genere esse peccatum mortale; quoniam jura simpliciter dicunt, hoc non licere, & loquuntur tanquam de re gravi & maxime necessaria, quæ prætermittenda non sit, nisi in summa necessitate: ut constat *ex Can. Sicut, de Consecrat. dist.*1. *& ibid. Can. Hic ergo, & Can. Nullus*. Do ipsum textum *in Can. Sicut*, ex quo dilucide apparet, quam severe veteres canones celebrationem Missæ in locis non sacris interdicant: *Sicut non alii, quam sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec Sacrificia super Altare offerre, sic nec in aliis, quam Domino sacratis locis, idest in tabernaculis Divinis, precibus a Pontificibus delibutis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas. Satius ergo est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate: quoniam necessitas legem non habet. Unde scriptum est: Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in omni loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. In domibus tamen ab Episcopis, sive Presbyteris oblationes celebrari nullatenus licet.*

6. Dixi, in locis non sacris non licuisse celebrare, nisi urgente necessitate; tum quia hanc exceptionem expresse faciunt sacri canones, ut apparet ex textu jam citato; tum quia accepimus ex historiis, sæviente persecutione, Christianos, quocumque in loco decenti poterant, incruentum Sacrificium obtulisse. Sic in carceribus sacrificari consuevisse, ex Actis Sanctorum Processi, & Martiniani, Clementis Ancyrani, aliorumque Martyrum passim didicimus. Legimus etiam, S. Apollinarem Episcopum & Martyrem tugurium habuis-

habuisse extra muros civitatis, ad quod Christiani furtive conveniebant, in quo & Missas celebrabat, & ex vicino mari sumpta aqua baptizabat. Imo refert Simeon Metaphrastes, S. Paphnutium Abbatem, eo quod eremum incoleret, nec facilem haberet ad urbes accessum, in sua cella Sacrum peregisse; necessitas enim, ut optime ajebat citatus canon, legem non habet: quamquam recte notant Theologi, in casu necessitatis non esse prætermittendam legitimi Superioris facultatem, si peti possit; si autem non possit, tunc sufficere necessitatem solam: ex Suarez *disp.*81.*sect.*3.

7. Dixi etiam, de jure communi & ordinario; nam ex licentia legitimi Superioris licet, & etiam olim licuit extra Ecclesiam sacrificare in privata domo, seu Oratorio non consecrato, nec benedicto. Quod liceat, patet ex usu, & ex Indultis Apostolicis concedentibus facultatem celebrandi in privatis Oratoriis. Quod olim etiam licuerit, ostenditur primo ex jure; nam *in Can. Missarum, dist.*1. *de Consecrat.* habetur sic expresse: *Missarum solemnia, non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Deinde ostenditur ex facto; nam de S. Ambrosio, qui floruit circa *annum* 354. meminit Paulinus *in ejus Vita*, eum aliquando invitatum fuisse trans Tyberim ad quemdam virum, ut Sacrificium in domo sua offerret. Præterea extat S. Gregorii Magni epistola *ad Joannem Episcopum Syracusanum*, in qua *l.*5. *ep.*43. ad evitandas contentiones cum provinciarum Præsidibus, & ad eos officiis promerendos, ipsum adhortans monet, ut Missas in domo Venantii præfecturam illic gerentis celebrari permittat, imo, si ille voluerit, ipsemet accedat, & Missam apud eum celebret. Ex quibus satis intelligitur, jam tunc in domibus etiam privatis consuevisse dici Missas, ut expendit Spondanus *ad annum Christi* 596.

8. Quamquam vero hæc ita se habeant, illud tamen exploratum est, intentionem Ecclesiæ semper fuisse, ut, quoad fieri possit, Missa in Ecclesia, aut locis sacris celebretur; nam, præter citatos supra canones, aliosque *Can.*14. *Can.*15. *&* *Can.*25.*de Consecrat.* novissime sacrosancta Tridentina Synodus *sess.*22. *in decret.de observandis in celebratione Missæ*, Episcoporum facultatem coarctavit in concedendo licentiam celebrandi extra locum sacrum, illisque injunxit sic: *Neve patiantur, privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi &c.* Huic Concilio generali consonat Provinciale Concilium Rhemense habitum *anno* 1583. inquiens: *Extra Ecclesiam, & Oratoria Divino cultui dicata, nemini rem sacram facere liceat.* Item Concilium Bituricense *anno* 1584. *Missa neque in profanis locis, neque in privatis domibus celebretur.* Item Concilium Tolosanum *anno* 1590. *In Ecclesiis tantum publice, non privatim in ædium Oratoriis ab Episcopo non temere unicuique concedendis, nisi pernecessarium sit, accedatque Episcopi venia, celebrentur.* Item Concilium Mediolanense I. habitum *anno* 1585. *p.*2. *tit. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ &c. Missæ non dicendæ in Cappellis domorum sæcularium, nisi cum licentia Episcopi, & hæc ad solum semestre duret &c.* Ex quibus sanctioni-

ctionibus, & limitationibus pronum est colligere, mentem Ecclesiæ esse, ut Missa nonnisi in locis sacris, quoad fieri possit, celebretur.

9. Quod uberius etiam elucescet ex decretis Romanorum Pontificum; siquidem, ut vetera prætermittam, postremis temporibus clar. mem. Paulus V. *sub die* 10.*Martii* 1615. ademit Episcopis potestatem concedendi licentiam celebrandi in domibus, aut locis non sacris, uti narrant Fagnanus *tom.*5. *pag.*286. & Pignatellus *tom.*6. *consul.*98. aliique: quod idem deinde confirmavit Urbanus VIII. uti testantur Diana, Portel, Reiffenstuel, & alii. Clemens vero XI. *anno* 1703. sancivit quamplura restrictiva antiquarum prætensarum facultatum circa usum Altaris portatilis, & Missarum celebrationem in Oratoriis domesticis, reddens optimam rei hujusce statim ab initio rationem his verbis: *Quoniam sancta sancte tractanda, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificii mysterium, quod omni religionis cultu ac reverentia est peragendum*. Hoc porro decretum Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit. de celeb. Missarum cap.*2. per Episcopos publicandum, & observandum præcepit. Quare satis aperte colligitur, Romanorum Pontificum animum inclinare, ut Fideles a celebrando in privatis Oratoriis, & locis non sacris, quoad fieri potest, abstineant; siquidem ejusmodi celebrationis facultatem difficilem reddere pro temporum ac circumstantiarum exigentia magis ac magis intenderunt.

10. Romanis Pontificibus, & Conciliis astipulantur, ut par est, Ecclesiæ Doctores; nam ex Ecclesia Græca S. Basilius *in reg. brevior. reg.*310. *Quemadmodum*, inquit, *ratio non permittit, quod vas ullum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat Sancta in domo communi celebrari*. Ex Ecclesia vero Latina Angelicus S. Doctor 3.*p. q.*83. *art.*3. expresse docet, quod *regulariter non liceat celebrare hoc Sacramentum, nisi in locis consecratis*. Et quidem in hac sententia semper fuisse Patres tum Græcos, tum Latinos, fuse ostendit contra Waldenses, aliosque Novatores eruditissimus Jodocus Coccius *lib.*6. *de Euch. art.*17.

11. Quamobrem, etsi nonnullis liceat ex Sedis Apostolicæ privilegio Missam in Oratorio privato suæ domus celebrare, vel celebrare facere, iis tamen incumbit privilegii hujusce usum ita temperare, ut non longe a piæ matris Ecclesiæ intentione ac desiderio discedant, quæ usum Oratorii indulget quidem, at, sicuti expressit in suo Concilio Mediolanensi I. *p.*2. S. Cardinalis Carolus Borromæus, optaret, ut Oratoriis privatis raro uteremur pro Missa.

12. Profecto ajebat Apostolus 1. *ad Cor. cap.*6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*: in quem locum apposite admodum S. Bernardus *lib.*3. *de consider. ad Eug. Spiritualis*, inquit, *homo omne opus suum trina consideratione præveniet: primo, an liceat; deinde, an deceat; postremo, an expediat: nam etsi constat in Christiana utique philosophia non decere, nisi quæ licent, non continuo tamen omne, quod licet, decere, aut expedire, consequens est*.

13. Liceat itaque privilegiariis usus Oratorii privati pro Missa. Libenter id do: at non continuo ejusdem usum præsertim frequentem decere, aut expedi-

pedire consequens erit. Quod ut planum fiat, jam nunc illud ostendere aggrediar, quod ab initio mihi proposueram, videlicet uberiorem esse fructum Sacrificii in loco sacro.

PARS SECUNDA.

PROPONITUR, ET PROBATUR UBERIOR FRUCTUS SACRIFICII IN LOCO SACRO.

§. I.

14. Duplex est fructus Sacrificii: alter ex opere operato: alter ex opere operantis. Uterque uberior est ex Sacrificio in loco sacro. Et quidem, quod attinet ad fructum ex opere operato, præmittendum est primo, vim inesse Sacrificio Missæ, ex institutione, & promissione Christi, impetrandi nobis aliquid; nam tale Sacrificium proprie solum est impetratorium, ex Bellarmino *de Miss. lib.2. cap.4.* Cum autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium, id est intelligendum ratione rei, quæ impetratur: dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ; satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ; meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi. Unde ex opere operato, seu independenter a bonitate & dispositione ministri, habet impetrare illi, pro quo offertur, non ponenti obicem, & capaci, bona spiritualia, ac temporalia; cum hac tamen differentia, quod habet impetrare aliqua infallibiliter, ut remissionem pœnæ temporalis post deletam culpam in homine justo, ex Vasquez *disp.229.* aliqua vero conformiter placito Divinæ providentiæ, ut remissionem culpæ, auxilia gratiæ, donum perseverantiæ &c. Ubi notant cum Bellarmino Doctores, Sacrificium Missæ non esse instrumentum immediate producens ejusmodi effectus ad instar Sacramentorum, sed mediate, quatenus impetrat auxilia & dona ad ejusmodi effectus: quamquam non negent, quod in ordine ad tollendas pœnas temporales, remanentes post remissam culpam, non solum habeat vim ad impetranda auxilia opportuna pro earum congrua satisfactione, sed insuper ex Christi institutione habeat hoc, ut applicetur Christi passio ad eas tollendas tum in vivis, tum in mortuis.

15. Præmittendum secundo, effectum hunc remissionis pœnæ temporalis, quem infallibiliter diximus evenire ex hoc Sacrificio in homine justo, probabilius crescere in eo, pro quo offertur, ex meliori ipsius dispositione sive habituali, sive etiam actuali: quod proportionaliter intelligendum est de aliis effectibus, qui eveniunt ex Sacrificio, conformiter placito Divinæ providentiæ. Ratio est 1. quia hæc videtur esse sententia S. Thomæ *q.79. art.5.* ubi de hac oblatione dicit: *Quod sit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem devotionis:* & *art.7. ad 2.* dicit: *Illud tamen prodest plus, vel minus, secundum modum devotionis eorum:* & idem censent Card. de Lugo *de Euch. disp.19. sect.10. num.200.* Castropalaus *tract.22. de Euch. disp. unic. p.6.* aliique cum Vasquez: 2. quia Sacramenta conferunt effectum suum majorem, vel minorem, secundum mensuram dispositio-

ſitionis, & devotionis illius, cui conferuntur: cum autem non appareat veriſimilis quo ad hoc diſparitas inter effectum Sacramenti, & Sacrificii, cum uterque ſit ex opere operato, videtur omnino tenendum, quod etiam effectus Sacrificii eo major & uberior ſit, quo fuerit major devotio illius, pro quo offertur.

16. His præmiſſis, ut evincam, quod mihi propoſitum eſt, uberiorem eſſe fructum ex opere operato Sacrificii celebrati in loco ſacro, quam celebrati in privato ac domeſtico Oratorio; nihil aliud faciendum ſupereſt, quam evincere, majorem, per ſe loquendo, ac regulariter eſſe devotionem eorum, pro quibus offertur Sacrificium, & interſunt eidem in loco ſacro, quam eorum, pro quibus offertur & interſunt in privato Oratorio.

17. At id evincere expeditiſſimum, ut arbitror, eſt. Etenim Templum, ſeu Eccleſia ſpecialem efficaciam habet, ratione conſecrationis, ad excitandam in nobis devotionem, uti expreſſe docet S. Thomas *3.p. qu.83. art.3. Eccleſia*; inquit, *& Altare ex conſecratione adipiſcuntur quamdam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur Divino cultui, ut ſcilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut ſint paratiores ad Divina*. Accedit præſentia Angelorum, qui noſtram devotionem promovent; nam credibile eſt, aut ſemper, aut frequentiſſime, in Templis Angelos adeſse. Quare Joſephus *lib.7. de bell. Judaic. cap.12.* ſcribit, in Templo Salomonis, paulo ante quam everteretur, auditas voces: *Migremus hinc*: quas Angelorum fuiſse deſerentium eum locum, communis opinio eſt. Præterea adeſt nobis in Eccleſia Deus ipſe per ſingularem quamdam protectionem, & virtutem: ſiquidem *in lib.2.Machab. cap.3.* legimus, dixiſſe Heliodorum: *In loco illo eſt vere Dei virtus quædam; nam ipſe, qui habitat in Cælis, viſitator, & adjutor eſt loci illius*. Quare negari non poteſt, majorem, per ſe loquendo, in Eccleſia, quam alibi, devotionem nos habere, & conſequenter uberiorem in loco ſacro ex Sacrificio fructum emanare.

18. Id ipſum ulterius ſuadetur ex eo, quia in Eccleſia ſunt omnia accommodata ad excitandam devotionem, uti expendit Card. Bellarminus *de Cult. Sanct. lib.3. cap.4.* nam ſacræ functiones, Reliquiæ, parietes Deo dicati, præſentia mediatoris Chriſti corporaliter in Euchariſtia, movent nos ad pietatem, nec poſſunt non incutere menti religioſæ horrorem & reverentiam.

19. Adde his abſentiam dæmonis, quæ removendo noſtræ devotionis hoſtem, devotos nos ac diſpoſitos ſinit eſſe recipiendo uberiori fructui Sacrificii; nam ſicut templa Gentilium polluta ſunt & immunda, quia ſunt domicilia dæmonum, ut patet ex S.Gregorio *lib.3.Dial.cap.3.* ita e contrario, inquit Bellarminus *loc.cit.* Templa Dei ſancta ſunt, quia dæmonibus carent: etenim idem S. Gregorius *lib.3. cap.30. Dial.* ſcribit, poſt conſecrationem Templi, quod antea Arianorum fuerat, diabolum inde egreſſum ſenſibiliter in ſpecie ſuis maximo ſtrepitu. Quare, cum in Eccleſia & removeatur prohibens noſtram devotionem, & adſint incitamenta noſtræ devotionis; illud plane conſequitur, nos ibi regulariter eſse magis diſpoſitos, atque idcirco recipere uberiorem fructum provenientem a Sacrificio ex opere operato, uberiorem ſcilicet remiſſio-

sionem pœnæ: nam, ut optime ajebat Vasquez *disp.231. cap.7. Sicut certum est inter Auctores, ad effectum hujus Sacrificii nullam actionem præter statum gratiæ requiri, ita etiam citra controversiam est, eo esse majorem fructum Sacrificii, quo fuerit melior dispositio.*

20. At duo sunt, quæ argumenti vim apud aliquem infirmare possint: alterum est, quod majorem devotionem nonnulli experiantur in Oratorio privato, quam in Ecclesia: alterum, quod in publica Ecclesia non raro plura sensibus objiciuntur, quæ a devotione nos avocant, v.g. apparatus, ornamenta Ecclesiæ, cantus musici, ac præterea strepitus, & occursus multorum, qui illuc se conferunt &c. Verum facilis est responsio. Nam ad 1. ℟. devotionem esse in duplici differentia. Alia consistit in actu humano deliberato ac speciali religionis, quo se se aliquis Divino cultui & honori addicit ex affectu colendi Deum; & hæc est præcipua & maxime propria devotio. Alia se habet per modum passionis, & cujusdam delectationis ac suavitatis; & hæc est veluti accidentalis devotio. Jam vero, si loquamur de prima ac substantiali devotione, ea semper, cæteris paribus, major est ratione materiæ in justo audiente Missam in loco sacro, quam audiente in sua privata domo; siquidem ille addicit se Divino cultui, exhibens actum exteriorem magis proportionatum, & magis accommodatum ad significationem honoris & præeminentiæ: majorem enim de Deo æstimationem manifestat se habere, qui ad Ecclesiam se confert, ut Deo sacrosanctam victimam offerat, quam qui domi suæ absque necessitate, & sola ductus commoditate, Sacrificium celebrat, vel celebrare facit.

21. Si autem loquamur de accidentali devotione, nempe de ea delectatione, suavitate, ac fervore &c. non inficior, eam aliquando majorem posse reperiri in audiente domi suæ Sacrificium; siquidem, cum Spiritus Sanctus sit propria causa talis devotionis vel per gratiam prævenientem, vel per gratiam operantem & cooperantem respective, notum est, quod *Spiritus ubi vult spirat*; unde potest quis domi suæ audiens Sacrum, experiri majorem devotionem accidentalem, quam audiens in Ecclesia: at nihil hinc infertur contra nostram assertionem; nam id esset per accidens, & nos locuti sumus per se, & regulariter: deinde hæc accidentalis devotio consistens in ea delectatione ac suavitate, licet sit bona, & sublevet nos ad bona opera, tamen, si non deveniat ad deliberatam ac substantialem devotionem, nihil proderit ad recipiendum uberiorem fructum Sacrificii: substantialis autem devotio major est ratione materiæ, ut diximus, in audiente Sacrum in Ecclesia, quam in audiente Sacrum domi suæ. Tandem quædam suavitas, delectatio, ac fervor, non semper est devotio, non semper est quid supernaturale a Spiritu Sancto proveniens: multoties est mera passio, proveniens ex variis naturalibus circumstantiis, ex corporis complexione &c. unde ea non est tanti, ut propter illam expediat domi suæ Missam audire, & non in Ecclesia.

22. ℟. ad 2. Ea quæ sunt in Ecclesia, vel sunt Ecclesiæ propria, ut cantus sacri, ornamenta &c. vel sunt extranea & fortuita, ut occursus hujus, vel alterius personæ &c. Prima non sunt apta nata, ut distrahant, sed

ut

ut excitent devotionem: quod si aliqui distrahuntur, est vitium illorum qui abutuntur rebus bonis. Posteriora autem, nempe extranea, nostræ devotioni nequaquam officient, si ea modestia, & ea intentione fuerimus in Ecclesia, qua in illa esse, illamque adire nos oportet; præsertim cum in Ecclesia alia sint pietatis incitamenta, ut diximus, nec in ea sinantur a Deo grassari dæmones eo modo, quo in aliis locis: quod certe est valde notandum; nam, si in Ecclesia est aliquando homo qui nos a bono removeat, domi est non raro diabolus, qui ad malum nos pertrahit.

§. II.

23. Hactenus de uberiori fructu ex opere operato: inspiciendum jam est, uberiorem esse etiam fructum ex opere operantis, per se loquendo. Pro quo præmittendum est, unum idemque opus bonum uno eodemque tempore esse ex opere operantis, & meritorium, & impetratorium, & simul etiam satisfactorium; quia, cum sit opus bonum, mercedem aliquam in Cœlo bonis omnibus operibus a Deo promissam meretur: & quia idem ipsum opus bonum est, aptum est etiam movere Deum, ut intuitu illius ea in bene operantem beneficia conferat, quæ ipse a Deo impetrare cupit: denique, quia hoc ipsum opus est bonum, compensat aliqualiter mala illa opera quæ fecimus, præsertim si opus hoc bonum sit arduum, & laboriosum; quo enim plus in aliquo bono opere molestiæ & laboris subeundum est, eo nobilior a nobis præstatur satisfactio: & quoniam in omni fere opere bono aliqua ob corruptæ naturæ perversitatem superanda occurrit difficultas, vix invenitur actio bona, quæ non sit etiam ex hoc capite satisfactoria.

24. Hoc præmisso, perspicuum fiet, Sacrificium Missæ in loco sacro uberiorem fructum parere ex opere operantis, si ostendero, in tali loco illud, per se loquendo, esse magis meritorium, magis impetratorium, & magis satisfactorium, quam sit, cæteris paribus, in Oratorio privato. Agesis porro initium faciamus a merito.

25. Meritum, ajo, uberius derivari ex Sacrificio in loco sacro; etenim certum est per Theologos, multitudinem bonorum operum, & eorum excellentiam per se conferre ad augmentum meriti, si cætera sint paria, ex Suarez *lib.* 12. *de mer. cap.* 20. aliisque. At quam multa, quam excellentia exercentur bona opera ab offerente Sacrificium, eidemque interessente in loco sacro, quæ non exercentur, per se loquendo, ab offerente, & interessente in privato Oratorio? In primis exercetur actus Fidei vividior ac perfectior de tam tremendo Sacrificio, ac de veneratione illi debita; siquidem adeuntes Templum, ac nolentes uti privato Oratorio, re ipsa fatentur, Sacrificium Missæ esse quid præstantissimum, ac proinde illi deberi locum præstantissimum, qualis est locus sacer. Sane laudata est Centurionis fides a Christo Domino, quod se indignum pronunciarit, sub cujus tectum Christus intraret. Sic pariter ab Angelis eorum Christianorum fides laudabitur, qui ob reverentiam noluerint in propria domo victimam illam sacrosanctam Deo offerri, &

Uni-

Unigenitum Patris æterni e Cœlo per Consecrationem inter profanos parietes advocari nequaquam permiserint. Deinde exercetur actus Charitatis valde commendandus erga nostrum proximum, qui aliorum, ac præsertim virorum nobilium exemplo ducitur ad cultum Deo dandum, & ad Sacrificii causa Templum adeundum. *Luceat lux vestra*, (inquit Christus Dominus *Matth.* 5.) *coram hominibus, ut videant opera vestra bona: non quidem*, sicuti exponit hic S. Augustinus *serm.* 2. *de verbis Domini*, *ut vos glorificemini*, *sed ut glorificetur Pater vester, qui in Cœlis est*. Id exigit scilicet Charitas, ut ad Dei cultum aliis exemplo & incitamento simus. Id præstant illi, qui publice in Templis Missæ intersunt, non vero, quantum est ex hoc capite, illi, qui privatim in domestico Oratorio Sacrificium celebrant, vel coram se celebrare faciunt. Hinc de multis Sanctis Regibus accepimus, consuevisse publice in Ecclesia aliquoties in singulos menses Divinis mysteriis vacare, ut suis subditis bonorum operum præberent exemplum, eosque ad sancte ac religiose vivendum adducerent. Imo cum olim Victorinus, insignis Philosophus, ac Senator Romanus, affirmaret S. Simpliciano, se esse Christianum, optime illi reposuit Sanctus Antistes: *Non credam, nec te inter Christianos reputabo, nisi in Ecclesia te videro*. Nimirum Christiani hominis est non erubescere Evangelium, & aliis bonorum operum exercitio prælucere. Tertio auditio, vel celebratio Missæ in loco sacro præfert actum religionis perfectiorem; nam, supposita fide de tam venerabili Sacrificio, & de infinita majestate Dei, actus religionis est professio non solum interior, sed etiam exterior de eo quod nos Deum, & Sacrificium magni facimus: at quis non videat, perfectius nos id profiteri, cum laborem & incommodum viæ sponte suscipimus, ut Templum adeamus, ibique Sacrificio præsentes simus? Adde etiam, obedientiam Ecclesiæ piæ Matri nos singularem exhibere in tali auditione; nam obedientiam plurimum observat, qui alicui obedit non solum in re obligatoria, sed etiam in ea, in qua nihil aliud, quam desiderium superioris sine ullo expresso præcepto cognoscitur: quare, cum desiderium Ecclesiæ sit, ut Sacrificium, quoad fieri potest, in Templo offeratur, singulariter nos illi obedimus non utentes ad talem effectum Oratorio privato, sed Templum adeuntes. Præterea exercemus etiam actum Christianæ humilitatis; nam, teste Lessio *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 6. actus hujus virtutis est, in externis rebus & functionibus amplecti semper id, quod habet minus honorificentiæ ac singularitatis: cum autem celebrare, vel celebrare facere in Oratorio domestico, habeatur tanquam signum specialis alicujus prærogativæ, & idcirco perhonorificum apud nonnullos æstimetur, erit hujus etiam virtutis actus nolle identidem hoc suo privilegio Oratorii privati uti, sed cum aliis ad publicas Ecclesias Sacrificii causa se se conferre. Tot igitur ac tam præclaris Christianarum virtutum actibus concomitantibus, per se loquendo, Missæ oblationem in loco sacro, illud plane consequitur, uberius ex ea meritum derivari, quam ex eadem in loco privato tot, vel tam excellentibus actibus, per se loquendo, destituta; siquidem ex majori numero bonorum operum, vel majori eorum excellentia, cæteris paribus, meritum augetur, ut diximus cum Suarez.

26. Nec solum meritum, sed etiam impetratio uberior est ex Sacrificio in loco sacro: nam Deus in Templo citius exaudit, ut patet ex promissione Dei *3. Reg. 9.* & advertit Bellarminus *lib. 3. cap. 4. de cultu Sanctorum*: etenim, quod Deus promisit Templo Salomonis, sine dubio promisit etiam Templis Christianorum; siquidem, quod petiit Salomon, cum Templum dedicavit, idem petit Ecclesia, cum nova Templa dedicat, nimirum ut aures Dei in eo loco sint apertæ: non est autem credibile, Deum exaudisse preces Salomonis, & non exaudire etiam preces Ecclesiæ suæ. Hinc est, quod tam in veteri, quam in novo Testamento legimus, Sanctos Viros, etiamsi possent domi orare, & frequenter ibi etiam orarent, tamen, quia sciebant orationem in Templo facilius exaudiri, illuc se orationis & impetrationis gratia conferre consuevisse. Anna filia Phanuel non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte, *Lucæ 2.* SS. Apostoli Petrus, & Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam, *Act. 3.* & passim in Historia Ecclesiastica ejusmodi exempla occurrunt. Cum itaque Sacrificium, teste Card. Bellarmino *lib. 2. cap. 4. de Missa*, sit quædam oratio, non verbalis, ut sic dicam, sed realis, citius in Templo exauditur, & citius nobis impetrat quod a Deo postulamus: ac propterea stat, uberiorem impetrationem ex Sacrificio in loco sacro derivari.

27. Restat, ut uberiorem etiam satisfactionem ex eodem in tali loco peracto provenire ostendamus. At id in promptu est; etenim neminem latet, satisfactionem eo esse majorem, quo majus in opere aliquo bono molestiæ & laboris subeundum est, cæteris paribus: cum autem majus incommodum, & major labor sit Templum adire Sacrificii offerendi causa, quam illud in propria domo, & ad nutum suum paratum a Sacerdote expectante procurare, sequitur &c. Enimvero longas olim Imperatores ipsi ac Reges peregrinationes obibant, ut suorum delictorum veniam a Deo impetrarent: sicuti memoriæ proditum est de Othone III. qui a S. Romualdo, ut nudis pedibus Ravenna ad Garganum montem Apuliæ ad memoriam S. Michaelis Archangeli peregrinaretur, pœnitentiam suscepit. Nunc vero vix aliquis e plebe emergit, statim domo exire pro Missa audienda, & minimum itineris conficere dedignatur. Usque adeo ex hominum memoria excidit illud S. Gregorii *in 1. Reg. cap. 15.* *Non solum confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate diluenda.* Verum, ne a proposito discedam, rem ipsam alia ratione confirmo, ac dico, Sacrificium in loco sacro, cum ostensum sit, esse magis meritorium, illud consequitur, ut eo ipso sit magis satisfactorium. Probo hoc ex doctrina illa, quam optime tradit celeberrimus Theologus Gabriel Vasquez *tom. 4. in 3. p. quæst. 94. art. 1. dub. 5. n. 7.* ubi pari passu docet in bono opere procedere meritum, & satisfactionem. En ejus verba: *Qui bene operatur, non tantum est dignus laude æternæ vitæ, sed etiam dignus, ut liberetur ab impedimento consequendi illam, & quo magis* (& melius) *operatur, magis ab illa liberetur: nam, si dignus est vita æterna, potiore ratione dignus erit auferendi impedimentum consequendi illam, quale impedimentum est pœna interim solvenda*, Hæc Vasquez. Quisquis ergo per bonum ali-

aliquod opus magis meretur, & fit Deo gratior, necesse est, juxta hanc solidam doctrinam, ut magis pro suis malis operibus (per quæ minus illi gratus aliquando fuit) satisfaciat: ac propterea audientes, vel celebrantes Missam in loco sacro, cum magis mereantur, sicuti supra dictum est, magis etiam satisfaciunt pro suis peccatis. Ad extremum non omittam, in loco sacro sæpe esse Indulgentias concessas a Summis Pontificibus, quas illuc accedentes Sacrificii causa, & per eam occasionem exequentes opera præscripta, consequuntur: at manentes domi, ibique Sacrificio interessentes, cum ea opportunitate careant, carent etiam ejusmodi remissione pœnæ temporalis per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum; carent etiam fructu verbi Dei, quod per eam occasionem audirent &c.

28. Sive igitur spectemus fructum Sacrificii ex opere operato, sive eumdem spectemus ex opere operantis, uberior ille est, per se loquendo, & cæteris paribus, in loco sacro, quam in profano, uberior in Templo, quam domi in privato Oratorio. Propterea non adeo suæ commoditati indulgeant Christifideles, ut fere semper in privato Oratorio Missam audiant, & uberioris hujuscemodi lucri jacturam faciant. Si necessitas id exposcat, necessitatis nostræ miserebitur scrutator Dominus; & pie credi potest, quod alia via ipse supplebit: at, si nulla legitima subsit necessitas, non simus rerum spiritualium tam prodigi, ut iis tenuem quamdam ac temporalem commoditatem anteponamus, memores illius *ad Gal. 6. Quæ seminaverit homo, hæc & metet.*

§. III.

29. Hactenus dicta dum ostendunt, uberiorem esse fructum Sacrificii in loco sacro, illud etiam tacite insinuant, licere quidem ex privilegio Missam in privato Oratorio celebrare, vel celebrare facere; at, per se loquendo, & comparative ad eamdem Missam in loco sacro, non expedire. Superest jam, ut ab ea, quam tero, via aliquantulum deflectens, indigitem, id ipsum non decere, nisi id rationabilis necessitas honestet. Hoc duplici historia perspicuum faciam.

30. Refert B. Petrus Damiani *Opusc.* 34. *cap.* 6. de quodam Monacho Cluniacensi, qui cum fessus de via projecerit se super lectum, ibique Completorium recitarit, mane ab incognito sive Angelo, sive homine Divinitus edocto, nec deinceps amplius ab eo viso, audivit: *Completorium in lecto nec salus est, nec profectus.* Item de alio Monacho Priore monasterii Fontis Avellani idem memoriæ prodidit, quod cum esset infirma satis valetudine, ac propterea sæpe jacens in lecto partem Divini Officii exsolveret, a dæmone inter exorcizandum energumenum hoc responsum tulit: *Tu ne ille es, qui sub cotto quotidie Completorium insusurras, & modo me quasi Sanctus ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare?*

31. Jam rogo: quid est majus, orare, an sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre? Utique Sacrificium offerre. Si ergo orare in loco minus opportuno, & ad talem effectum non deputato, objurgationem promeruit, quanto

 dete-

deteriorem, putamus, merebitur increpationem, qui absque necessitate Sacrificium in profana domo, & loco non sacro celebrare, vel celebrari voluerit? Si indecentiam præsefert Horas Canonicas in loco non proprio percurrere, quanto magis indecentiam quamdam sapiet, rem Divinam sine necessitate in loco non sacro peragere?

32. Vidit hoc laudatissimus Imperator Justinianus, atque idcirco legem tulit, qua sic præcepit: *Omnibus interdicimus magnæ hujus civitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi Orationum domos, & in his sacra celebrare mysteria &c.* ut *in Authen. coll.* 5. *t.* 12. Sanctus vero Antistes Carolus Borromæus inter præcipuas suas pastorales curas eam habuit, ut frequens usus celebrandi in Oratoriis domesticis minueretur: quod & per provinciales leges, & per indefessam ipsius solicitudinem enixe curavit, intelligens, id quidem de licentia legitimi Superioris licere, sed non semper expedire, nec semper decere; ac propterea neque ipsi Regio Gubernatori Mediolanensi Oratorii domestici usum permisit, quamvis ipse privilegio ad id Apostolico munitus esset: ut *in lib.* 8. *cap.* 4. *ejus Vitæ*. Extat Romæ etiam nunc Princeps Fœmina, gratia & opibus florentissima, quæ domi privatum Oratorium habere recusat, & quotidie Templum adit, ut Sacro religiose intersit. Reservat nempe sibi Deus per omnem ætatem quamplures, qui res sacras eo quo par est in honore habeant.

PARS TERTIA.

SATISFIT OBJECTIONIBUS.

33. Contra hæc, quæ diximus, possent aliqua opponi, quæ, ut veritas elucescat, a nobis diluenda sunt. Ac primo opponi potest ex Sacra Scriptura illud Malachiæ *cap.* 1. *v.* 11. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*: quod de Sacrificio novæ legis plures ex Patribus intelligunt: unde videtur ita a Christo Domino institutum esse hoc Sacrificium, ut in omni decenti loco peragi possit ac debeat. Præterea Sacrificium Crucis fuit peractum, non in Templo, sed in monte extra portam civitatis. Ergo similiter poterit extra Templum peragi Sacrificium incruentum Altaris sine ulla indecentia. Adde, in celebratione hujus mysterii nos debere imitari morem Christi, & Apostolorum: sed Christus primo hoc Sacrificium confecit, non in Templo consecrato, sed in quodam communi cœnaculo, a quodam patrefamilias præparato; Apostoli vero, ut habetur *Actor.* 2. erant perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, & sumebant cibum cum exultatione: ergo & nos &c.

34. ℞. textum citatum Malachiæ non habere hunc sensum, quod Sacrificium Eucharisticum offerendum sit in quovis decenti loco, sed quod offerendum sit in quavis Mundi parte, & a quibusvis gentibus. Ita explicat Cornelius a Lapide *Malach. c.* 1. *n.* 11. & quia Ecclesia Christi non erat concludenda sub fini-

finibus gentis Judaicæ, sed erat in universo Mundo fundanda, ideo Passio Christi, seu Sacrificium Crucis non fuit celebratum sive intra Templum, sive intra civitatem Judæorum, sed sub dio, inquit S. Thomas, ut sic totus Mundus se haberet ad Passionem Christi, seu Sacrificium Crucis, ut domus, seu Templum. Ad id, quod addebatur de Christo Domino, & de Apostolis, quos nos oportet imitari, ℞. Oportet, nos imitari Christum, & Apostolos in celebratione hujus Sacrificii, sed pro loco, tempore, & personis; nam sacræ illæ cæremoniæ, quæ deinde ab Ecclesia ad ornatum & reverentiam tanti Sacrificii institutæ sunt, tunc temporis non fuerunt usurpatæ, & tamen a nobis sunt usurpandæ, nisi (quod absit) velimus convenire cum Luthero ajente *in lib. de Capt. Bab.* Missam eo esse magis Christianam, quo est simplicior, & similior Missæ Christi, in qua nulla fuit cæremoniarum pompa. Esto itaque Christus Dominus primo obtulerit hoc Sacrificium in cœnaculo, & non in Templo; nihilominus, cum Ecclesiæ visum sit post institutionem talis Sacrificii præcipere, ut in Templo regulariter illud celebretur, & cum Templum consecretur ad Sacrificium offerendum, sequitur, quod nos piæ matri Ecclesiæ teneamur obedire, & quod, obediendo per celebrationem in loco sacro, uberiorem ex Sacrificio fructum reportemus. Accedit, quod Apostoli, ut supra dicebamus, in necessitate extra Templum celebrarunt: cæterum ipsi statim ab initio Templa ædificanda curarunt, sicuti constat ex Paulo 1. *ad Cor. c.* 11. & refert Nicephorus *lib. 2. hist. cap.* 39. Sanctos Apostolos Philippum, & Bartholomæum in Syriæ & Asiæ civitatibus Templa construxisse, atque idem fecisse Thomam, Andream, & Matthæum in suis regionibus.

35. Altera objectio est ex S. Joanne Chrysostomo, qui *homil.* 18. *in Acta* Ecclesiolas domesticas dotatas, in quibus Sacerdos quotidie, saltemque Dominicis diebus Hostiam vivam immolet, late & fortiter commendat: unde pronum est colligere, expediens esse, habere domi Oratoria privata, ibique Missam audire.

36. ℞. S. Chrysostomum non loqui ibi de Ecclesiolis in domibus privatis urbanis, sed de Ecclesiolis in domibus ruralibus: cum enim Sanctus Doctor, probe cognosceret fructum provenientem ex Sacrificio, illoque eos privandos intelligeret, qui commorarentur in agris, ubi non essent Ecclesiæ; idcirco hortatur, ut Ecclesiæ ibidem ædificentur & dotentur, ad hoc ut illi possint Missæ interesse. Quod sane nihil contra nos evincit; siquidem nos etiam propter necessitatem commendamus usum Oratorii, & multo magis commendamus ejusmodi dotatas Ecclesiolas auctoritate legitimi superioris erectas, ubi opus fuerit.

37. Tertia objectio est ex variis historiis Sanctorum Virorum, qui non solum ob persecutiones, sed etiam aliis de causis aliquando in privatis locis Sacrificium offerebant. Legimus enim, S. Gregorium Nazianzenum, in exigua cellula extructo Oratorio, Sacra fecisse ibidem, ex Sozomeno *lib.* 7. *hist. cap.* 5. Item Theodoretus *in hist. relig. cap.* 20. scribit, se in cellula Maris Anachoretæ sacra mysteria celebrasse. Denique, ut alia exempla prætermittam,

tam, S. Joannes Damascenus *in Historia de Barlaam & Josaphat* scribit B. Barlaam Presbyterum fuisse, & in sua cellula, solo præsente Josaphat, Sacrificium offerre solitum. Cum autem non sit credibile, hos Sanctos Viros voluisse uberioris fructus jacturam facere, videtur dicendum, non esse uberiorem fructum Sacrificii in loco sacro, uti nos contendimus.

38. ℟. Admitto, plures Sanctos Viros, extra etiam persecutiones, in privato Oratorio, & loco non sacro celebrasse; sed omnes cum rationabili causa solam commoditatem superante: quando autem adest rationabilis causa, præter solam commoditatem, non est novum, quod Viri etiam Sancti omittant aliquando opus non præceptum, quamvis de se melius & fructuosius. Sic fructuosior ac melior de se est celebratio Missæ, quam ejus simplex auditio: & tamen, ut se magis præpararent ac disponerent, legimus, nonnullos Sanctos Viros ad tempus a celebrando abstinuisse, & aliis spiritualibus exercitationibus vacasse, ut de S. Ignatio Loyola memoriæ proditum est. Accedit, quod diximus, fructum Sacrificii in loco sacro uberiorem esse de se, & cæteris paribus; nam, si in aliis circumstantiis sit inæqualitas, non est dubium, quin possit inde compensari, vel etiam superari fructus Sacrificii in loco sacro: & quia in Sanctis Viris major est status gratiæ, & melior est dispositio, ideo potest iis per accidens uberior fructus respondere ex Sacrificio in loco non sacro, quam aliis in loco sacro. At quid inde? Numquid, per se loquendo, non erit uberior fructus Sacrificii in loco sacro? Numquid Sanctis Viris nosmetipsos coæquabimus, putantes nos ita dispositos, ut loci sacri circumstantia non indigeamus ad uberiorem ex Sacrificio fructum percipiendum?

39. Quarta objectio desumitur ex praxi Episcoporum, qui cum sint forma facti gregis, ab iis nos exempla petere possumus: ii autem frequenter in suo domestico Oratorio Missam celebrant, vel audiunt: & quidem jam inde a priscis temporibus id usu receptum est; nam S. Joannes Eleemosynarius, ut *in ejus Vita* scribit Leontius, cum populum de Ecclesia egredi videret, quo tempore Sacra celebrabat, ad illos conversus dixit: *Ego, filii, propter vos ad Ecclesiam descendo, nam mihi ipse in Episcopio Missas facere poteram*. Ex quo apparet, nullam esse inconvenientiam, nullum dispendium, si Missa in privato Oratorio celebretur.

40. ℟. respectu Episcoporum, ac Prælatorum superiorum non esse indecentiam ullam in frequenti usu Oratorii domestici ad Missas celebrandas, vel audiendas; tum quia Oratoria in palatio Episcoporum propter dignitatem Episcopalem non censentur Oratoria privata, sed comprehenduntur nomine loci sacri & religiosi, uti cum aliis docent Quart. *in Rub. p.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. & Tamburinus *de Sacrif. l.* 1. *c.*4. §. 4. præsertim cum deputatio facta auctoritate Episcopi, uti contendit Sanchez *l.* 9. *de matr. disp.* 15. *n.* 39. vicem benedictionis ad hunc effectum suppleat, sitque veluti consecratio quædam; tum quia optime expendit Bonifacius VIII. *in Cap. Quoniam, de privileg. in* 6. Episcopos, eorumque superiores, ex una parte non semper posse commode ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, ex alia vero sine

ſine Miſſa celebrata, vel audita, non decere eos tranſire ullam diem, niſi ad id compellat neceſſitas: unde convenienter ipſi utuntur Oratorio domeſtico. Cum autem ejuſmodi rationes non militent pro ſæcularibus, non eſt reſpectu ipſorum talis convenientia. Et hæc ſane quo ad decentiam. Quod attinet vero ad diſpendium, non inficior, aliquale ferre etiam Epiſcopos, per ſe loquendo, ex celebratione in loco non conſecrato; nam ſpecialis illa efficacia, quam Templum acquirit ratione conſecrationis, vel ad coercendos dæmones, ne adeo infenſi ſint nobis inter celebrandum, vel ad remittenda venialia, & conſequenter ad majorem aliquam noſtram diſpoſitionem, vel ad conferenda aliqua gratiæ auxilia; ſpecialis, inquam, hæc efficacia non reperitur in loco non conſecrato, quamvis inter ſacra & religioſa annumerato. Compenſabitur nihilominus facilius in Epiſcopis tale diſpendium, præſertim ob finem vacandi rebus gravioribus conducentibus ad ſalutem animarum, quibus non poſſent ſe dedere, ſi pro celebratione Miſſæ ſtabiliter Templum adirent. Non ſic in ſæcularibus recuſantibus Divina myſteria in Eccleſiis obire vel ob meram commoditatem, vel ob finem alium non adeo honeſtum ac meritorium. Unde eſt diſparitas. Et notent univerſi, quod S. Joannes Eleemoſynarius, ut populi utilitati conſuleret, quamvis in Epiſcopali palatio celebrare poſſet, tamen ad Eccleſiam ſe conferebat. Utinam hunc imitentur viri principes! & licet Oratorii domeſtici privilegio potiantur, tamen, ut cæterorum ædificationi ſerviant, nec moleſtum, nec indecorum ſibi putent ad Eccleſias convenire, ibique publica Sacrorum frequentatione Chriſtianos ſe pios ac devotos probare. Profecto aliter factitantes abſque rationabili cauſa, non parum a charitatis lege inſtitutoque diſcedunt. *Ubi autem diminutio eſt charitatis* (inquit S. Bernardus *ep.*82.) *miror, quod, vel quale poſſit ſpiritalis exercitii ſperari lucrum*.

41. Quinta objectio deducitur ex eo, quod, ſtante hac noſtra poſitione deberet unuſquiſque adire Templa illa, quæ ſolemni ritu ſunt conſecrata, nec ſatis eſſet adire Templa ſolum benedicta; ſiquidem de Templis conſecratis potiſſimum procedunt ea, quæ conducunt ad uberiorem fructum Sacrificii: cum autem hoc nimium ſit, & contra praxim Fidelium, ſequitur &c.

42. ℞. diſtinguendum eſſe inter id, quod licet ac decet, & id, quod ſimpliciter magis expedit. Si ſermo ſit de eo, quod licet ac decet, ajo, quod, quamvis antiquitus præciperetur, ut celebratio fieret in Eccleſia conſecrata, tamen jam conſuetudine obtentum eſt, ut ſufficiat ad celebrandum Eccleſia benedicta, imo & erecta auctoritate Pontificis, aut Epiſcopi, ex Vaſquez *diſp.*283. *cap.*1. aliiſque. Unde ad effectum Miſſam celebrandi, vel audiendi, jam licet ac decet Eccleſiam ſolum benedictam adire. Si vero ſermo ſit de eo, quod per ſe magis expedit, non poteſt negari, magis, ut infra exponam, expediens eſſe, per ſe loquendo, adire Eccleſiam conſecratam. Noſtra tamen poſitio, ſi bene conſideretur in ſuis probationibus, non contendit, adeundum regulariter eſſe ſolas Eccleſias conſecratas, ſed præferendas eſſe Eccleſias tum conſecratas, tum benedictas, privatis domeſticis Oratoriis pro celebratione Divinorum myſteriorum; ſiquidem multiplici ex capite fructuoſius per ſe eſt

Sacri-

Sacrificium tam in Ecclesia consecrata, quam in Ecclesia benedicta, quamvis comparative ad Ecclesiam solum benedictam excessus aliquis sit in Ecclesia consecrata. Cæterum non tantum consecratio, sed etiam benedictio Templi est quoddam sacramentale, & consequenter propter orationes Ecclesiæ Deus etiam in Templo solum benedicto speciale aliquod auxilium præberet. Rursus tam Templum consecratum, quam Templum benedictum, deputatur firmiter Divino cultui, & utrobique asservari solet Divina Eucharistia &c. unde tam Templum consecratum, quam benedictum, ea, quæ diximus, sibi vendicant; at potiori jure sibi ea vendicat Templum consecratum, tum propter plures orationes, quæ in consecratione fiunt a sacris ministris, tum propter solemniores ritus adhibitos ad significandam sanctitatem in his requisitam, qui rem Divinam faciunt, quique propterea plurimum valent ad excitandam devotionem.

43. Sexta objectio. Pontifices dant sæpissime hanc facultatem celebrandi in Oratoriis privatis; quod non facerent, si Fideles hac ratione minus reverentes se gererent erga Sacrificium, ut innuimus, & majori fructu, per se loquendo, se privarent. Ergo &c.

44. ℞. Omnes humanas leges debere cedere legi charitatis, & prudentiæ. Quare qualibet lex vel retinenda, vel dispensanda, vel abroganda, vel mutanda est a legitimo superiore, prout charitas & prudentia hic & nunc persuaserit. Cum autem sæpenumero charitas & prudentia persuadeat concessionem Oratorii privati sive ad consulendum petentium necessitati, sive ad conciliandos & promerendos nobilium animos, sive ad benignitatem subditis ostendendam; *oportet namque* (ut ajebat in simili S. Gregorius *l.5. ep.43.*) *filiis Sacerdotalem amorem Episcopos impendere*: cum, inquam, hæc sint, non est mirum, si Romani Pontifices sæpe numero ejusmodi concessionem faciant. Cæterum, sicuti ipsi prudenter hoc privilegium concedunt, ita vellent, ut privilegiarii prudenter eo uterentur, ideoque non sine rationabili causa, nec passim, nec sine ulla Templorum frequentatione: unde, si secus hi fecerint, & idcirco majus spirituale lucrum amiserint, non Pontifici, licentiam concedenti, sed iis, qui concessa moderate non utuntur, adscribendum est.

45. Septima objectio. Multoties contingit, ut viri nobiles non audirent Missam, si non uterentur Oratorio privato: quia multoties eos piget domo exire, vel dormiunt ad multam diem, quando nulla jam in Templis Missa celebratur, eo quod vel sit proximus, vel elapsus meridies: unde carerent fructu Sacrificii, si suo non uterentur privilegio.

46. ℞. Doleo sane, propter temporum nostrorum vitium viros nobiles ad eas angustias redigi, ut iis oporteat aut Missam omittere, aut eam in loco minus proprio audire. Certe non sic olim apud nobilissimos & occupatissimos viros mos erat. De Alphonso Siciliæ & Aragoniæ Rege narrant historiæ, quod quotidie diluculo surgens orationes in interiore Sacello ad Deum ipsum effundebat; inde in Templum prodiens, die lucescente, Missas admiranda devotione audiebat. De eximio Angliæ heroe Thoma Moro accepimus, quod singulis diebus ante alia negotia quæcumque (studiis interdum valde matutinis exceptis)

Sa-

Sacro religiose in Templo intererat . Verum , quando nova temporum ratio pios ejusmodi usus apud plerosque viros nobiles delevit , & necessitatem differendi ad multam diem auditionem Sacri ipsi causantur, inspiciendum est, an sit necessitas, quæ hominem præoccupat, an vero sit necessitas,quam homo sibi faciat ,ingerendo se libere actionibus quibusdam habentibus annexam talem necessitatem: v.g. ducendo noctes insomnes alea &c.Si primum , utique melius erit Missam in Oratorio domestico audire , quam illam omittere , per se loquendo; & in tali casu ab hoc qualicumque majoris reverentiæ defectu excusabuntur . Si secundum, & ratio ingerendi se talibusactionibus fuerit vel mala, vel non necessaria, tunc videant, ne accommodantes,ut ita dicam, suis voluptatibus & commoditatibus ipsum tremendum Divinum Sacrificium , mereantur exprobrari a supremo Judice per illa verba (*Isai.43.*)*Servire me fecisti in peccatis tuis* . Siquidem in tali casu haud verificatur, eos non posse in Ecclesia sacrificare, quia impediuntur; sed impediri, quia nolunt ad Ecclesiam accedere. Enimvero *quid excusabimus*, inquit S. Chrysostomus *in Orat.de S.Philogonio* , *aut quam veniam obtinebimus , si , cum ipse nostra causa descenderit e Cœlis , nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur? Cum alienigenæ barbarique ex Perside accurrant , ut illum videant in Præsepi ; tu vero ne breve quidem spatium emetiri sustines, ut hoc felici spectaculo perfruaris?* Non igitur sibi blandiantur ex necessitate , qui necessitatem sibi voluntarie faciunt, dum suis voluptatibus indulgent; sed meminerint ex Tridentino, maximam adhibendam esse curam, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione tum quo ad tempus, tum quo ad locum &c. peragatur : in quo si ipsi ob suam meram commoditatem deficiant , nec excusatione sunt digni , nec venia . Et quamvis laudandi sint in eo , quod Missam velint audire (non enim pium hoc eorum desiderium improbare ausim), non tamen sunt laudandi in eo, quod habitualiter id velint in Oratorio domestico ; tum quia regulariter id eis adimit fructuum ubertatem ; tum quia præsefert speciem minoris reverentiæ erga Divinam Eucharistiam . Privilegium vero, quod habent a Sede Apostolica , efficit quidem , ne ipsi peccent contra legem celebrandi in loco sacro ; at non efficit etiam, ut pari spirituali lucro, & pari reverentia celebrent in loco non sacro . Sic dispensatus legitime a jejunio , non peccat quidem contra legem jejunii comedendo ; at non simul vi dispensationis habet meritum temperantiæ ,quod habent jejunantes .

47. Ad extremum notarim cum Raynaudo *t.16.* quod David Arcam Dei inducere in domum suam diu cunctatus est præ reverentia & metu alicujus mali , si quid minus digne admitti in domo sua contingeret, tametsi, Templo nondum constructo , deesset eo tempore locus honoratior , in quem Arca Dei posset inferri . Jam vero Arca erat rudis quædam delineatio veritatis expressæ in Eucharistia; ac propterea multo justius est extimescere incommodum aliquod ex ejus non necessaria vel confectione , vel administratione in domo profana , in qua certum est multa plerumque fieri corporalem Dei vivi præsentiam dedecentia : dicitur enim domus contegere turpitudinem ; quia multa intra eam admittuntur , quæ oculis mortalium sunt obducenda . Unde non solum ob lucrum cessans , sed etiam ob damnum emergens debent parce , discrete,

& cum rationabili causa suo uti viri nobiles privilegio celebrandi in loco non sacro, & in domestico Oratorio.

48. At sciscitaberis: hæc discretio, hæc parsimonia in usu talis privilegii intra quos fines consistet? Rx. Intra eos fines, quos ultra committeretur defectus in ipsomet usu privilegii. Hoc autem tripliciter potest contingere: I. si quis fini privilegii resistat: II. si inde occasionem capiat delinquendi saltem per omissionem: III. si privilegium extendat ultra id, quod superior concedit sive relate ad tempus, sive ad locum, sive ad materiam, sive ad personas &c.

49. Jam vero finis privilegii in generali videtur esse augmentum Divini cultus respectu personarum nobilium, vel aliarum, quæ sive ab infirma valetudine, sive a convenientia exteriorum rerum, v.g. officiorum, necessarii comitatus &c. impedirentur, ne Sacro frequenter assisterent, si Oratorii privilegio non potirentur. Probo hoc textu *in Cap. Ex parte, de constit.* ubi Pontifex Honorius III. declarat, per ejusmodi gratiosas Pontificum concessiones intendi augmentum Divini cultus, nullatenus autem ejusdem diminutionem: unde factum est apud Canonistas adagium illud: *Privilegium in præjudicium Divini cultus non debet concedi*: ex Gonzalez *Cap. 6. de Cleric. non resid.* Quando igitur privilegiarii tam frequenter, & in talibus circumstantiis uterentur suo privilegio, ut potius inde resultaret diminutio, quam augmentatio Divini cultus respectu ipsorum, tunc ipsi resisterent fini privilegii. Eatenus proinde eo uti debent, & eatenus eo abstinere, quatenus cognoverint, per ipsius usum augmentari, vel diminui Divinum cultum respective. Scio, non esse ita facile in praxi id deprehendere; at optime in simili reposuit Doctor Angelicus 2. 2. q. 185. art. 7. ajens: *Non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet: si vero sit multus excessus, non potest latere.* Profecto, si fuerit multus excessus in usu talis privilegii, utendo illo frequenter sine ulla necessitate, & sine ullo honesto motivo superante meram commoditatem, non poterit latere.

50. Deinde haberetur etiam defectus in usu talis privilegii, si privilegiarii inde caperent occasionem delinquendi saltem per omissionem: v.g. si propterea ipsi non audirent verbum Dei, non frequentarent Sacramenta, negligerent lucrari Indulgentias, opportunas ac necessarias suis famulis instructiones Fidei, quæ traduntur in Ecclesia, impedirent &c.

51. Demum haberetur defectus in ejusmodi usu, si privilegium ipsi extenderent ultra id, quod superior concedit: v.g. si plures Missas uno die celebrare facerent sine speciali indulto, si Missam celebrare facerent hora indebita, puta post meridiem, ac præsertim expectante ad Altare Sacerdote sacris vestibus induto, si diebus exceptis, si per Sacerdotes non approbatos &c. Caveant igitur privilegiarii, ne ad hos scopulos impingant, & ita intra eos fines se contineant, quos ultra nequit consistere rectum.

52. Hæc dixerim, ut proximorum utilitati, ac tremendi Sacrificii reverentiæ prospectum sit. Decet nimirum Religiosum ac Sacerdotem in id incumbere, ut opus maxime sanctum ac Divinum quantamaxima fieri potest exteriori devotionis ac pietatis specie tractetur, & spiritualibus bonis proximus copiose augeatur.

MEMO-

MEMORIALE
CONFESSARIORUM.
OPUSCULUM V.
PARS PRIMA
DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.
CAPUT I.
De præcedentibus sive tempore, sive natura, sacramentalem Confessionem.

§. I.

Quidditas, partes, & effectus hujus Sacramenti.

1. 
Acramentum Pœnitentiæ, a Christo Domino institutum, bene explicatur sic: *Sacramentum reconciliationis hominis cum Deo, per remissionem peccati commissi post Baptismum, consistens in actibus pœnitentis, & Absolutione Sacerdotali.* De Fide est, quod sit verum ac speciale Sacramentum novæ legis, ex Tridentino *sess.7.can.*1. *de Sacram.* & fuit a Christo institutum, quando ipse apparuit post suam resurrectionem Apostolis, absente S. Thoma, *cap.*20.*Joan.* dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

2. Partes hujus Sacramenti sunt quatuor; nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio ex parte pœnitentis, Absolutio ex parte Sacerdotis; cum hoc tamen discrimine, quod Contritio, Confessio, & Absolutio sint partes essentiales, Satisfactio vero in re exhibita sit pars integralis: & quia in omni Sacramento datur materia tum remota, tum proxima, & forma; etiam in hoc Sacramento habetur materia proxima, quæ consistit in tribus dictis partibus hujus Sacramenti se tenentibus ex parte pœnitentis; habetur forma, quæ consistit in Absolutione se tenente ex parte Sacerdotis potentis, & volentis absolvere.

3. Materia remota dicitur in hoc Sacramento illa, circa quam abolendam versatur Contritio, Confessio, & Absolutio; eaque est peccatum quodcumque actuale commissum, non antecedenter, sed subsequenter tempore, vel natura, ad Baptismum. Hinc non esset capax Absolutionis, qui confiteretur peccatum originale, aut solum peccatum aliquod actuale commissum ante Baptismum. Et quamvis Card. de Lugo optime censeat, non esse impediendos

 pœni-

pœnitentes, ne se accusent de non correspondentia Divinis inspirationibus circa opera consilii, tamen qui de iis solis se accusaret, non videretur capax Absolutionis; quia non est, per se loquendo, peccatum non correspondere Divinis inspirationibus circa opera consilii, secluso earum contemptu.

4. Hæc vero materia remota est in duplici differentia: altera enim est materia remota necessaria; altera est materia remota sufficiens, sed non necessaria. Materia necessaria sunt peccata mortalia commissa subsequenter tempore, vel natura ad Baptismum, nec alias directe clavibus subjecta, & absoluta. Nomine autem clavium hic intelligimus potestatem interrogandi, & potestatem absolvendi, quæ resident in Sacerdote, quarum altera vocatur clavis scientiæ, altera vocatur clavis potentiæ. Materia sufficiens, sed non necessaria, sunt peccata venialia, & peccata etiam mortalia, alias directe clavibus subjecta, & absoluta, sicuti declaravit Benedictus XI. *in Extrav. 1. de privil.* Peccata autem negative dubia, ut infra dicemus, probabiliter obligamur fateri simul cum alia materia certa; quæ si haberi non possit, poterit prudens Confessarius, juxta periculum, & dubii probabilitatem, Sacramentum conficere, absolvendo sub conditione: Suarez *disp. 18. de Pœn. sect. 1. 2. 12.* Castropalaus *tract. 23. disp. un. p. 6.*

5. Quando peccata prius remissa per antecedentem Confessionem, iterum subjiciuntur clavibus, forma habet suum verum sensum, & fit vera remissio; quia, ut bene docet Castropalaus *cit. tract. punct. 6. nunquam peccatum ita remittitur, quin amplius remitti possit, saltem quatenus est impedimentum gratiæ abundantioris recipiendæ.*

6. Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto, lapsis post Baptismum est necessarium necessitate medii, ut colligitur ex Christi verbis *Joan. 20.* quibus dat potestatem non tantum peccata remittendi, sed etiam retinendi. Dixi, vel in re, vel in voto; quia constat, posse peccatorem justificari per Contritionem perfectam, sic tamen, ut justificatio non sit adscribenda Contritioni, nisi prout continet votum Sacramenti, quod votum, juxta communiorem ex Suarez *disp. 17. sect. 3. n. 8.* sufficit implicitum.

7. Effectus hujus Sacramenti alii sunt primarii, alii sunt secundarii. Primarii sunt quatuor, nempe remissio peccati mortalis, commutatio pœnæ æternæ in temporalem, sacramentalis gratia, & ablatio reliquiarum peccatorum semper ex parte, aliquando etiam omnino, ex S. Thoma *3. par. q. 86. art. 5. ad 1.* Secundarii sunt tres, nempe remissio venialium, vivificatio operis Sacramenti ficte suscepti, dempta tamen Eucharistia, & restitutio in pristinam dignitatem, & merita: unde opera mortificata, non autem mortua, per tale Sacramentum reviviscunt. Quamvis vero remissio venialium fiat per hoc Sacramentum, potest tamen eadem fieri in homine justo extra Sacramentum, per sacramentalia, quæ sunt sex, videlicet Oratio Dominicalis, Aqua benedicta, comestio Agni Paschalis, & aliorum ciborum, ad præscriptam Ritualis Romani benedictionem, recitatio confessionis generalis, quæ fit in Missa, & Officio per *Confiteor*, elargitio eleemosynæ, & benedictio Episcopalis: quæ omnia comprehenduntur uno versiculo: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans,*

Dans, *Benedicens*. Censemus autem, quod remissio venialium fiat per hæc sacramentalia, non quidem immediate ex opere operato, ad modum Sacramentorum, supposita dispositione; sed mediate ex opere operato, excitando actum sufficientem, ut Attritionem, vel alium bonum motum.

§. II.

De Contritionis essentia, & qualitate.

8. Contritio in præsenti accipitur generice, prout est in communi dolor de peccatis, abstrahendo, an sit dolor perfectus, vel imperfectus, & a Concilio Tridentino *sess.14. cap.4. de Pœnit.* sic describitur: *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*: eaque duplex est: altera perfecta; altera imperfecta, seu minus perfecta. Contritio perfecta, quæ antonomastice dicitur Contritio, est animi dolor, conceptus ex motivo charitatis propter Deum summe dilectum, de peccato commisso, cum proposito &c. Contritio imperfecta, seu minus perfecta, quæ vulgo dicitur Attritio, est animi dolor, conceptus ex motivo aliquo inferiori, sed supernaturali, de peccato commisso, cum proposito &c. Alterutra ex his est necessaria non solum ad effectum, sed etiam ad valorem hujus Sacramenti Pœnitentiæ: unde voluntas confitendi peccata, & recipiendi Absolutionem, requiritur quidem, sed non sufficit ad Sacramenti validitatem, quæ necessario exigit aliquem ex prædictis doloribus, & sane non mere existimatum, sed vere existentem; dolor enim existimatus, non est dolor, sed erronea persuasio doloris: sicuti dolor reflexus de eo, quod non doleas de peccato, non est dolor de peccato, ac propterea speculative, & per se loquendo, non sufficit ad valorem Sacramenti: quia tamen talis dolor, practice loquendo, trahit secum dolorem ipsum directum de peccato commisso, practice loquendo, sufficit. Non est tamen opus, talem dolorem, seu Contritionem requisitam, esse de omnibus peccatis singillatim; satis enim dolere potes de omnibus sub generali ratione offensæ Dei, ut fuse probat Vasquez *quæst.86. art.2. dub.7.* sicuti neque opus est ad prædictum dolorem aliqua graduum intensio, cum in quolibet gradu etiam remisso reperiatur quidditas doloris a Concilio requisiti: item nec mora temporis determinata, necessaria est ad prædictum dolorem, cum possit ille concipi unico prorsus momento.

9. Præterea Contritio, seu dolor, abstrahendo a perfecto, vel imperfecto, debet habere has qualitates: 1.quod sit supernaturalis; quia, quod naturale est, non potest ad salutem conducere: unde merito ab Innocentio XI. proscripta est hæc propositio: *Probabile est, sufficere Attritionem naturalem, modo honestam*: 2.debet esse formalis: unde non sufficit dolor virtualis inclusus in actu charitatis, aut altero pio motu excludente affectum ad peccatum: 3.debet esse efficax, saltem quo ad affectum; quia debet excludere voluntatem peccandi: non tamen debet esse necessario efficax quo ad effectum hoc sensu, quod pœnitens vi illius nunquam amplius debeat peccatum, de quo doluit,

luit, iterare: 4.debet esse dolor terminative absolutus, & non pure conditionatus: 5. debet esse universalis, ad remissionem mortalium, hoc saltem sensu, quod debeat se extendere ad omnia mortalia admissa: non tamen hoc sensu debet esse necessario universalis, quasi necessario debeat inniti motivo extendente se ad omnia mortalia tam admissa, quam non commissa. Dixi, ad remissionem mortalium; nam ad remissionem venialium in Sacramento Pœnitentiæ quamvis requisitus sit dolor supernaturalis tum ob valorem, tum ob effectum Sacramenti, tamen, quia potest unum peccatum veniale remitti sine altero, non videtur ad peccati confessi remissionem necessarius dolor se extendens ad omnia venialia, sed sufficit dolor de illo. Censemus vero cum Cardenas *diss.2. q.4.* esse in praxi illicitum sequi opinionem asserentem, quod ad Confessionem venialium non requiritur dolor formalis, & expressus, sed sufficit implicitus, qui includitur in voluntate confitendi ea peccata.

10. Contritio, seu dolor hactenus explicatus, debet præcedere Absolutionem, non tamen videtur absolute necessarium, ut præcedat Confessionem. Neque huic opinioni aliquo modo officit propositio prima damnata ab Innocentio XI. quia moraliter certum videtur, valere Sacramentum, etiamsi dolor non præcedat Confessionem, dummodo præcedat Absolutionem. Et quia gravis inter Auctores est controversia, an, quando dolor præcedit Confessionem, officiat valori Sacramenti, si per multum tempus illam præcedat, nos eam litem dirimimus asserendo, quod speculative tuto procedit, qui uno, vel duobus diebus ante Confessionem recogitat peccata sua, & de iis dolet in ordine ad confitendum, & postea non elicit novum actum doloris, uti docuit Cardenas *diss.2. cap.6. q.6.* practice tamen prudens Confessarius debet semper excitare pœnitentem, antequam eum absolvat, ut reiteret actum doloris de suis peccatis, ne se exponat periculo nullitatis Sacramenti, uti recte docuit Clericatus *decis.13. de Pœn.num.8.* Eadem etiam distinctione componimus tum asserentes, tum negantes, requiri novum dolorem, si perseveret habitualiter, vel virtualiter prior, ad novam ejusdem, vel alterius peccati Confessionem: nam asserentes cum Vasquez *q.92. art.3. dub.5. n.10.* optime procedunt, & sunt omnino audiendi, si loquantur practice; negantes vero cum Cardinali de Lugo *disp.14. de Pœn. sect.3.* bene procedunt, nec sunt improbandi, si loquantur dumtaxat speculative: quorum sententia, etsi nequeat deservire ad praxim, extra casum necessitatis; poterit tamen prodesse ad conscientiæ quietem, ne quis angatur de Confessionibus factis, uti docet Cardenas *loc. cit. num.3.*

§. III.

De proposito, quod esse debet cum dolore.

11. AD veram Contritionem, seu dolorem, de quo hactenus locuti sumus, spectat propositum non peccandi de cætero, ut constat *ex loc. cit.* Trident. & ex Florentino *in Decreto Eugenii*. Hoc autem propositum non est actus intellectus, sed voluntatis, neque est præcise amor, vel odium, sed

sed volitio seria & resoluta obediendi omni legi quo ad gravia, & nolitio seria violandi unquam præceptum ullum grave in circumstantia ulla, ex Ulloa *tract. de Pœn.* Hinc potest dari casus, quod in pœnitente habeatur verum propositum, & tamen in eodem habeatur probabile judicium reflexum formidolosum de relapsu in culpam gravem, ut bene advertit cum Sylvestro Layman *tract.6. num.8.*

12. Certum est, propositum requiri tum ad valorem, tum ad effectum Sacramenti, ex Card. Toleto *lib.3. Sum. c.4.* Et quamvis nonnulli velint, requiri formale & expressum, asserentibus aliis cum Suarez *disp.20. sect.4.* requiri vel formale, vel virtuale, dicendum tamen est cum Card.de Lugo, *loc.cit. sect.5.* quod requiritur formale,& expressum,si dolor fuerit,non ex motivo universali, sed speciali illius peccati, quod pœnitens confitetur; sufficit autem virtuale inclusum in ipso dolore ac detestatione, si dolor fuerit ex motivo aliquo universali comprehendente omnia mortalia, quamvis in praxi a pœnitentibus, præsertim rudioribus, semper exigendum sit propositum expressum. Neque hæc opinio de validitate talis propositi ullatenus videtur affici a proscriptione primæ propositionis damnatæ ab Innocentio XI. uti ostendit Cardenas *dissert.2. cap.5. q.4. num.80.* Qualitates vero,quas habere debet dolor, nempe quod sit efficax, sit supernaturalis, sit omnino absolutus respectu peccati ut talis, & non terminative conditionatus, sit universalis &c. easdem etiam habere debet propositum; cum hoc tamen discrimine, quod universalitas doloris non necessario debet extendi ad omnia prorsus peccata etiam non commissa; at universalitas propositi debet extendi ad omnia prorsus peccata gravia; ita ut propositum debeat esse penitus universale quo ad tempora, circumstantias, & objecta, non necessario in specie, vel in individuo, sed in genere,uti fuse probat Ulloa *in cit.tract.*

13. Præterea ex tali propositi universalitate servandi omnia mandata, nec violandi præceptum ullum grave, fit consequenter, ad valorem Sacramenti requiri in pœnitente volitionem seriam & resolutam relinquendi occasionem proximam peccati gravis. Hæc autem occasio proxima dicitur illa, quæ homines similis conditionis frequenter inducit ad peccatum, vel de qua per experientiam constat, quod in peccatum frequenter inducat, ex Suarez *disp.32. sect.2.* ex Card. de Lugo *disp.14. de pœn. sect.10. n.149.* ad differentiam alterius occasionis, quæ dicitur remota, & est ex citatis Doctoribus illa, quæ quamvis aliquo modo inducat ad peccatum, tamen non habet frequentem conjunctionem cum peccato. Ubi notamus 1. quod talis frequentia inductionis ad peccatum, non pensanda sit absolute, sed respective,ex Segneri *in Confess. inst. cap.5.* Notamus 2. quod occasio proxima peccati constituitur per duo prædicata, nempe per circumstantiam extrinsecam, & per periculum formale proximum peccandi, ex Cardenas *diss.4. cap.2.* Hinc inferimus 1. quod aliquando teneatur quis relinquere eam occasionem, in qua solum sexies, vel etiam quater in anno peccavit. Inferimus 2. quod in pœnitente semper requiritur seria volitio relinquendi occasionem proximam quo ad periculum formale proximum peccandi, non autem semper requiritur volitio relinquendi eam-

dem

dem quo ad circumſtantiam externam, quia aliquando datur ad id impoſſibilitas vel phyſica, vel moralis: unde locus factus eſt celebri diviſioni in occaſionem proximam voluntariam, quam tenemur relinquere tum quo ad periculum, tum quo ad circumſtantiam externam; & in occaſionem proximam involuntariam, quam tenemur relinquere quo ad periculum proximum peccandi, per orationes, Sacramentorum frequentationem, & alia hujuſmodi. Quod ſi quis, adhibitis talibus, aliiſque mediis, non poſſet, remanente circumſtantia extrinſeca, removere ab eadem periculum proximum peccandi, & impoſſibilitas relinquendi circumſtantiam eam externam, non eſſet phyſica, ſed moralis, licet ſumma, & graviſſima, tunc cenſemus cum Cajetano, Cardenas, aliiſque; quos refert, ſequiturque la Croix *lib.* 5. *de pecc. n.* 261. contra de Lugo *de Pœn. diſp.* 14. *num.* 152. obligandum illum omnino eſſe ad occaſionem proximam relinquendam tum quoad periculum proximum, tum quo ad circumſtantiam extrinſecam. Impoſſibilitas autem moralis, excuſans a removenda circumſtantia extrinſeca occaſionis proximæ, non reſultat ex eo, quod illa ſit nimis utilis ad oblectamentum, & quod, illa deficiente, nimis ægre ageretur vita &c. ut conſtat *ex prop.* 41. *damnata ab Alexandro VII.* imo nec reſultat ex illo magno incommodo, quod excuſat ab obſervantia legis poſitivæ, ut videtur deduci ex eadem damnatione *prop.* 41. ſed reſultat ex alio longe graviori incommodo, quale eſſet v. g. ſi vita diſcrimini evidenti eſſet exponenda, vel familia honeſta ad mendicitatem eſſet redigenda, ex Viva *in prop.* 41. *ab Alexandro VII. damnatam*.

14. Hactenus dicta de propoſito, intelligenda ſunt relate ad peccata mortalia: limitanda tamen aliquatenus ſunt quo ad peccata venialia; nam quamvis ad valorem ejus Sacramenti, cujus materia fiunt ſola venialia, requiratur propoſitum ſupernaturale, formale, vel virtuale, efficax etiam modo ſupradicto, etſi, ut docet Caſtropalaus *tract.* 23. *p.* 2. non ita firmum & efficax, ſicuti propoſitum vitandi mortale; tamen non neceſſario requiritur, quod ſit omnino abſolutum vitandi omnia venialia, ſed ſufficit abſolutum vitandi eadem, prout humana fragilitas patitur, ex eodem Caſtropalao *loc. cit.* nec neceſſario requiritur, quod ſit univerſale, extendens ſe ad omnia venialia in genere, & collective, ex S. Thoma 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *ad* 1. Unde concludimus, quod ad valorem Sacramenti, & ad remiſſionem eorum venialium, quæ fiunt materia Sacramenti, requiritur, & ſufficit propoſitum vitandi venialia plene deliberata, & adhibendi diligentiam, quantum humano modo fieri poterit, vitandi omnia ſemideliberata, vel ſaltem minuendi eorum numerum, quando dolor venialium fuerit elicitus ex motivo univerſali, extendente ſe ad omnia venialia. Requiritur vero, & ſufficit propoſitum vitandi unum ex venialibus, quæ quis confitetur, vel eorum aliqua, vel eorumdem frequentiam, quando dolor fuerit elicitus ex motivo ſpeciali vel unius, vel aliquorum, vel eorumdem frequentiæ. In hoc autem caſu non remitterentur omnia venialia, quæ quis confitetur, ſed vel unum, vel aliqua, vel illa, ob quæ cœpit denominari frequentia, ſeu frequens lapſus. Ita videtur erui ex de Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 9. aliiſque apud la Croix *l.* 6. *p.* 2.

*p.2. n.*905. Quo ad occasiones proximas venialium, quamvis multi graves Auctores, quales sunt Con. *de Pœn. disp.*2, *num.*130. Layman *lib.*5. *tract.*6. *cap.*4. *num.*20. Semery *in MSS. de Pœn. quæst.*7. *p.*3. aliique fortasse probabiliter doceant, non requiri ad valorem Sacramenti, quod proponamus eas vitare, tamen cum Arriaga *de Pœn. disp.*38. probabilius, & fortasse cohærentius censemus, requiri, quod proponamus vitare occasiones proximas ejus, vel eorum venialium, de quibus, vel de quorum aliquo dolemus, aut saltem proponamus vitare eas occasiones proximas, quæ venialium frequentiam per se inducunt, vel diligentiam eadem præcavendi imminuunt; quia aliter non videtur subsistere sincerus & efficax dolor, aut propositum, etsi hoc non ita efficaciter debeat movere animum ad fugiendas hujusmodi venialium occasiones, uti sic movet propositum vitandi mortale ad vitandas occasiones mortalium, ex Castropalao *loc. cit.* Demum ex Gobat *tract.*6. *num.*216. non putamus necessarium, quod qui confitetur sola venialia, habeat, cum proposito vitandi venialia, etiam propositum expressum vitandi mortalia; esto hoc virtualiter semper habeatur in proposito venialium, ut docet la Croix *lib.*6. *num.*906.

CAPUT II.

De concomitantibus sacramentalem Confessionem.

§. I.

Quidditas, & necessitas sacramentalis Confessionis.

15. IN sacramentali Confessione, quæ est altera materiæ proximæ, atque adeo ipsius Sacramenti pars, quinque nobis occurrunt exponenda. 1. Quidditas. 2. Necessitas. 3. Qualitas. 4. Quantitas 5. Ordo, seu habitudo, quam ipsa habet ad aliquem, ut constabit ex ejus definitione. Itaque Confessio sacramentalis est accusatio legitima de propriis peccatis, facta coram Sacerdote habente locum Dei, in judicio sacramentali, ad veniam peccatorum virtute clavium obtinendam, ex communi Doctorum, & præcipue ex S.Thoma *in* 4.*d.*22.*q.*3. *a.*2. De Fide est, quod fuerit a Christo Domino instituta, & præcepta, ut constat ex Tridentino *sess.*14. *cap.*5. *de Pœnit.* ex Concilio Constantiensi *sess.*8. ubi damnatur hic error Wicleffi: *Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, & inutilis*: præterea ex unanimi consensu Patrum apud Bellarminum, atque ex perpetuo usu non solum Ecclesiæ Latinæ, sed etiam Græcæ; qui usus nunquam fuisset inductus, nisi Confessio fuisset jure Divino præcepta, uti recte notat Platelius *n.* 732.

16. Propterea jure Divino necessaria est omnibus post Baptismum lapsis in mortale, ex Tridentino *loc.cit.* etiam illis, qui per Contritionem charitate formatam justificati sunt. Ii tamen non tenentur statim primo quoque tempore confiteri, sed quando instat obligatio. Hæc autem ex jure Divino obligatio instat per se 1. in periculo mortis, sive hoc sit ex morbo, sive ex imminente

navigatione; prælio, partu periculoso, extremo supplicio &c. ex S. Thoma, Castropalao, Card. de Lugo *disp.*15. *sect.*3. *num.*37. qui sub eodem casu comprehendit illum, qui habet de præsenti Sacerdotem, a quo possit absolvi a reservatis, postea vero non habiturus est, a quo possit absolvi; imo recte idem Auctor infert, ratione hujus obligationis teneri Medicum monere infirmos de imminente periculo mortis. 2. Instat talis obligatio per se, ut probabilius vult Illsung.*num.*13. contra Castropalaum, sæpius in vita. 3. Instat radi caliter pro tempore ab Ecclesia determinato, quatenus Christus voluit obligare pro tempore ab Ecclesia determinando, ex Card.de Lugo *num.*39. Per accidens vero in aliis multis casibus instat: primo nempe, si gravatus peccato mortali, etiamsi contritus, velit quis suscipere Eucharistiam, ex Tridentino *sess.*13. *cap.*7. secundo, si quis credat, certam speciem peccati, v.g. luxuriæ, se non posse vitare, nisi ad Pœnitentiæ Sacramentum accedat &c. ex Castropalao, aliisque communiter. Propter dicta, merito Ecclesia suo præcepto determinavit, ut omnes Fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno omnia sua peccata mortalia confiteantur, ex Concilio Lateranensi *in Cap. Omnis utriusque sexus, de pœn. & rem.* Huic autem præcepto, quod non est mere Ecclesiasticum, sed veluti modificatio præcepti Divini, non satisfit per Confessionem voluntarie nullam, ut constat ex *prop.*14. *damnata ab Alexandro VII.* imo nec per Confessionem quamvis involuntarie nullam, ex Platelio *num.*744. Satisfit tamen quocumque anni tempore; quia, per se loquendo, non habet ullum anni tempus, adeoque nec Paschale determinatum, quamvis qui tempore Paschali haberet peccatum mortale, teneretur tunc confiteri ratione Communionis faciendæ, ex Castropalao *num.*8. Mandat præterea Tridentinum *sess.*13. *cap.*7. ut Sacerdos quilibet quamprimum confiteatur, si, necessitate urgente, absque prævia Confessione celebraverit, ex cujus mandato datur ad id obligatio gravis, ut constat *ex prop.*38. *damnata ab Alexandro VII.* Illa autem particula *quamprimum* non intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur, ut constat *ex* 39. *damnata ab eodem Pontifice*, sed probabiliter ex de Lugo, aliisque apud Vivam *num.*5. intelligitur, si Sacerdos intra triduum confiteatur. Hactenus exposita de præcepto tum Divino, tum Ecclesiastico Confessionis, afficiunt Fideles lapsos in mortale; nam peccatis venialibus tantum adstricti, nec Divino, nec Ecclesiastico præcepto confiteri tenentur, ex Suarez *disp.*36. *sect.*2. aliisque communiter apud Castropalaum *tract.*23. *p.*5. *disp.unic.* Consuetudo tamen habet, teste Busembaum, & cogi etiam quisque posset, ut in Paschate habens sola venialia, se sistat Parocho, si nolit confiteri, eique hunc conscientiæ suæ statum declaret, ut eum cum reliquis ad Communionem admittat.

§.II.

§. II.

Qualitates Confessionis sacramentalis.

17. QUalitates Confessionis sacramentalis aliæ sunt substantiales, aliæ sunt accidentales. Substantiales sunt 1. quod ipsa sit dolorosa, uti supra explicavimus; 2. quod sit sensibilis, quia ipse dolor, ut sit pars Sacramenti, debet per Confessionem fieri aliquo modo sensibilis. Accidentales sunt 1. quod ipsa sit secreta, seu auricularis; 2. quod sit vocalis; 3. quod sit vera, seu fidelis. Jam vero certum est, quod, si in Confessione deficiant primæ duæ qualitates substantiales, ea irrita fit, nec sit pars Sacramenti: non autem semper est irrita, si deficiant postremæ tres qualitates accidentales; nam hic modus faciendi Confessionem secreto, etsi licitus & honestus sit, uti definivit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. non est tamen de necessitate Sacramenti, ex S. Thoma *quodl.* 1. *art.* 10. & hæc doctrina videtur Suarezio nunc omnino certa ex Tridentino: imo neque est de necessitate præcepti ex parte pœnitentis, ex Suarez *disp.* 29. *sect.* 1. unde posset aliquando pœnitens in majorem suorum scelerum vindictam, & Ecclesiæ ædificationem, sua peccata proprio Sacerdoti coram aliis fateri, ex eodem, & ex Castropalao *loc. cit. p.* 8. Est tamen de necessitate præcepti ex parte Sacerdotis, tum quantum ad secreti observationem juxta voluntatem pœnitentis, tum quo ad hoc, ut non possit cogere pœnitentem, ut aliter confiteatur, ex eodem *loc. cit.* Hinc recte Navarrus *in Cap. Sacerdos, de pœn.* infert, graviter peccare eum Sacerdotem, qui plures simul pœnitentes audit in Confessione, eo quod sint pueri. Item neque est de necessitate Sacramenti, quod Confessio fiat vocaliter, seu voce humana, ex S. Thoma *quodlib.* 1. *art.* 10. quem communiter sequuntur Doctores, teste Suarez. Hinc in praxi absolvi solent muti, & morituri, qui aliter, quam nutibus, peccata sua declarare nequeunt. Est tamen talis modus confitendi vocaliter, de necessitate præcepti Ecclesiastici, desumpti ex usu & praxi Ecclesiæ, ex Castropalao *loc. cit.* Hinc graviter peccaret, qui nutibus, vel scriptura tantum, absque ulla vocis prolatione, peccata fateretur, cum tamen facile posset ea voce proferre, ex S. Thoma *quodlib.* 1. *artic.* 10. Demum fidelitas, seu veritas in Confessione ita requiritur, ut mentiri in Confessione non solum sit contra veracitatem, sed etiam contra religionem, propter irreverentiam contra Sacramentum, quæ potest esse vel levis, vel gravis, adeoque peccatum vel leve, vel grave, ex Suarez *disp.* 22. *sect.* 10. Et quidem mentiri in materia necessaria, sive negando peccatum mortale, quod factum est, sive asserendo peccatum grave, quod factum non est, est peccatum grave, & consequenter contra substantiam Sacramenti. Mentiri vero in materia non necessaria, cum hoc fiat aut negando v. g. veniale, quod factum est, aut fiat asserendo veniale, quod factum non est; dicimus, quod, si fiat primo modo, erit peccatum veniale, & stabit substantia Sacramenti, dummodo cætera adsint; si autem fiat secundo modo, peccabitur graviter, nec stabit substantia Sacramenti, quando tamen tale falsum

veniale fuerit materia totalis ejus Sacramenti; peccabitur venialiter, quando illud veniale falsum fuerit materia partialis ejus Sacramenti, ex Suarez *cit. disp. num.7.* secluso tamen scandalo, & contemptu.

§. III.

Quantitas, seu integritas Confessionis.

18. QUantitas Confessionis dici potest ex Suarez integritas ejusdem, & extensio, quam ipsa habere debet ex parte materiæ. Hæc autem integritas, seu extensio protenditur ad peccata omnia mortalia quo ad speciem, & numerum, post diligens examen memoriæ occurrentia, quæ commissa sunt subsequenter tempore, aut natura ad Baptismum, quæque rite aperta non fuerint in Confessione: item ad circumstantias omnes speciem mutantes, non autem, per se loquendo, ad circumstantias pure aggravantes. Et quidem talis integritas per se, & ordinarie requiritur in Confessione, vi præcepti Divini in ipsa Sacramenti institutione fundati: per accidens tamen, & extraordinarie potest abesse; cum ejus præcepti obligatio cesset, quando ea integritas vel physice, vel moraliter servari non possit. Hinc 1. integritas Confessionis duplex assignatur: alia materialis; alia formalis. Integritas materialis est, quando Confessio fit de omnibus peccatis memoriæ occurrentibus modo supradicto: formalis est, quando Confessio fit, non de omnibus peccatis memoriæ occurrentibus, sed de illis omnibus, quæ, & qualiter nulla impossibilitas, vel physica, vel moralis, impedit manifestare. Primam integritatem dicimus esse necessariam necessitate præcepti; alteram vero esse necessariam necessitate Sacramenti, ex Castropalao *tract.23.disp.unic.p.11.* aliisque communiter. Hinc 2. pœnitens tenetur sub gravi, quando habet conscientiam peccatorum mortalium, in quibus requiritur integritas, præmittere Confessioni diligens examen, & facere moralem diligentiam, ut eorumdem recordetur quo ad numerum, & speciem, ex Suarez *disp.23. sect.10.* Hæc tamen diligentia non requitur eadem in omnibus: unde recte ait Clericatus *dec.11.* quod in aliquibus requiritur examen exactissimum, in aliquibus mediocre, in aliquibus modicum, considerata capacitate personæ, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis ab ultima Confessione respective. Potest, ac multoties debet talis diligentia juvari ab industria Confessoris: non ideo tamen existimandum est, posse pœnitentes imparatos accedere, ex Suarez *loc.cit.* imo, si pœnitens imparatus, & sine prævio examine accederet, Confessio esset invalida, non solum casu quo ex defectu examinis illa non fuisset integra, & omissum esset unum, vel plura peccata, sed etiam, ut probabiliter docet Card. de Lauræa *disp.12. art.9.* casu quo Confessio fuerit integra, & nullum omissum peccatum, quamvis id fortasse non immerito limitet Clericatus *dec.21. de Pœn.* dicendo, sententiam Eminentissimi de Lauræa procedere, dummodo tales non fuerint circumstantiæ, ut pœnitens per omissionem examinis nullo prudenti periculo se exposuerit lædendi integritatem. Certum vero est ex Suarez *loc.cit.* aliisque, non teneri pœnitentem ad facien-

faciendam diligentiam extraordinariam: unde ille non tenetur peccata scribere, etiamsi timeat probabilissime, se non esse eorum in Confessione recordaturum: Castropalaus *disp. unic. p.*10. Hinc 3. merito damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio *num.*11. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere*: item *num.*24. hæc alia: *Mollities, sodomia, & bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem*: item *num.*25. hæc alia: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*: sicuti qui peccato interno superaddidit externum, debet hoc etiam explicare, etiamsi admittatur, quod actus externus nullam novam malitiam superaddat interno, ex communi cum Platelio Peccata etiam negative dubia sunt probabilius, saltem ob ingentem auctoritatem Doctorum, explicanda: quamvis opposita opinio, spectatis præcise rationibus intrinsecis, videatur probabilis, ut videre est apud de Lugo *disp.*16. *sect.*2. qui bene monet, in re morali non esse facile recedendum a communi sensu. Admittimus tamen cum Gormaz *de Pœn.*170. quod qui multis ab hinc annis fecit Confessionem generalem, & modo negative dubitat, an tum dixerit certum peccatum, non teneatur illud confiteri; quia Confessio facta, est in possessione pro integritate, nisi positiva ratio prudenter dubitandi occurrat. Hinc 4. potest per accidens dimidiari valide, ac licite Confessio in variis casibus a Doctoribus enumeratis: v. g. si immineat periculum mortis vel pœnitenti, vel Confessario; si infirmus non potest, nisi summo cruciatu, & summa difficultate, ac detrimento valetudinis, peccata omnia aperire &c. Non tamen potest sic dimidiari ratione magni concursus pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ, ex decreto Innocentii XI. *prop.*59. non enim in tali casu datur impossibilitas vel physica, vel moralis, servandi integritatem, propter quas solas impossibilitates excusamur ab integritate materiali. Hinc 5. ex de Lugo *disp.*17. *sect.*1. potest aliquando in casu gravissimæ necessitatis non solum dimidiari Confessio, sed eadem fieri in genere, manifestando, se peccasse: unde Confessio generalis, seu in genere, potest aliquando esse sacramentalis; quia aliqua Confessio est de essentia hujus Sacramenti, Confessio vero talis, vel talis, solum est de præcepto, uti supra innuimus. Qui autem sic est confessus, tenetur postea, si recordetur, vel possit, confiteri speciem infimam; &, universaliter loquendo, repeti debet Confessio peccati mortalis nunquam directe absoluti in sua specie infima.

§.IV.

§. IV.

Ordo, quem habet ſacramentalis Confeſſio.

19. ORdo, ſeu reſpectus ad aliquem, quem habet ſacramentalis Confeſſio, ſtat in hoc, quod fiat coram legitimo Judice, ideſt fiat Sacerdoti vero, præſenti, approbato, & juriſdictionem habenti, ex communi. Hinc 1. certum eſt, nullum extare præceptum, quo quis non habens copiam Confeſſarii, teneatur aperire laico ſua peccata, imo nec quo teneatur per interpretem aperire Sacerdoti extra articulum mortis, in quo articulo, non quidem ex præcepto Divino Confeſſionis, ſed ex præcepto charitatis erga ſe ipſum, teneretur habens conſcientiam peccati mortalis, per interpretem confiteri Sacerdoti, ut docet Suarez *diſp. 36. ſect.6.* Hinc 2. illicitum & invalidum eſt confiteri Sacerdoti abſenti per litteras, aut internuncium, & ſic confeſſum abſolvere: item abſentem abſolvere poſt Confeſſionem in præſentia factam, & etiam, ſecluſo caſu extremæ neceſſitatis, præſentem abſolvere poſt Confeſſionem in abſentia factam. Ita Platelius, & Viva, ex decreto Clementis VIII. Poteſt nihilominus moribundus a Sacerdote præſente abſolvi, ſi per teſtes conſtet, eum ante Sacerdotis adventum dediſſe ſigna pœnitentiæ: imo, quamvis omnino illicitum ſit etiam ſub conditione dare Abſolutionem moribundo, ſi nulla ſimpliciter ſenſibilis Confeſſio, ne in abſentia quidem Sacerdotis, præceſſit, poteſt tamen idem moribundus ſub conditione abſolvi, ſi ille det aliqua ſigna, aut dederit, aut ſit in talibus circumſtantiis, ut Sacerdos præſens poſſit prudenter judicare, quod ſit, aut præceſſerit aliqua ſenſibilis Confeſſio. Addo, quod in caſibus, in quibus Sacerdos poteſt eum moribundum abſolvere, etiam ſub gravi tenetur: Viva *in App.* allegans quamplures Doctores. Hinc 3. ut ſatisfiat præcepto Confeſſionis, Confeſſio fieri debet Sacerdoti approbato, ſive is ſit ſæcularis, ſive ſit Regularis; ſi tamen fiat Regulari, qui eſt præſentatus Epiſcopo, & ab eo eſt injuſte repulſus, non ſatisfit, ex decreto Alexandri VII. *prop. damnat.* 13. Advertas, quod hactenus expoſuimus Confeſſionem ſacramentalem, quæ eſt a Chriſto Domino inſtituta, & eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ: quando tamen Auctores docent, obligationem ſigilli ſacramentalis emanare ex ſola Confeſſione ſacramentali, tunc nomine Confeſſionis ſacramentalis non intelligunt dumtaxat hanc ſpecificam, & legitimam, ſed hanc & aliam etiam illegitimam, quæ non eſt pars Sacramenti: unde a Gobato aſſignatur definitio univerſalis Confeſſionis ſacramentalis, complectens tum legitimam, tum illegitimam, & eſt: *Accuſatio peccatorum facta Sacerdoti vero, vel probabiliter exiſtimato in ordine ad Abſolutionem.* Poſita autem hac diviſione Confeſſionis ſacramentalis legitimæ, & Confeſſionis ſacramentalis illegitimæ, ſalvatur veritas ejus axiomatis, nempe quod obligationem ſigilli parit omnis & ſola Confeſſio ſacramentalis, ex Gobat. *tract.7. num.11.*

§.V.

§. V.

Utrum liceat revelare complicem in Confessione.

20. RES hæc satis practica sic breviter resolvitur. Non licet sub gravi, per se loquendo, revelare complicem in Confessione, sine ulla necessitate, vel causa. Ita Suarez *disp.34.de Pœn. sect.1.* Cardinalis de Lugo *disp.16. sect.7.* Dixi, per se loquendo; nam per accidens, v. g. ex inadvertentia, vel ignorantia, potest id esse vel nullum, vel leve peccatum, etiamsi propter delicti gravitatem complex notabile famæ detrimentum patiatur apud Confessarium. Dixi, sine ulla necessitate, vel causa; nam, stante aliqua gravi causa, id per se licitum erit: siquidem, ut colligitur ex S. Thoma, revelare peccatum occultum alterius propter bonum ejus, vel reipublicæ, vel tertiæ personæ, aut propter aliquod aliud bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, aut detractio. An vero sit gravis causa, & sufficiens ad id licite faciendum necessitas servandi integritatem materialem Confessionis, quæ aliquando potest occurrere, cum quis non potest rite aperire suum peccatum, quin revelet complicem? etsi nonnulli id negent cum Diana *1. tom. tractat. de circumst. agg. resol.49.* aliisque videndis apud de Lugo *disp.16. sect.7.* tamen probabilior ac verior videtur sententia opposita id affirmans, quam tenent S. Thomas *opusc.12. q.6.* Scotus *in 4. dist.21. q.2.* S. Bonaventura, ac S. Bernardus, qui *in formula honestæ vitæ* sic ait: *De nullo prorsus sinistre loquaris, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Limites, dummodo aliud malum complici non immineat, nisi præcise hoc, quod Confessarius ejus peccatum sciat, ex de Lugo *ibid.* item dummodo pœnitens non possit absque gravi difficultate alterum Confessarium adire, cui complex ignotus sit, neque possit aliquantum Confessionem differre, ex cujus dilatione speret manifestare posse peccatum absque complicis revelatione; quia, quando hæc duo possent commode fieri, non adesset justa causa revelandi complicem, & deberent ea duo præstari ad servandam integritatem, ex de Lugo *ibid.* Hæc vero doctrina, quod liceat id propter integritatem Confessionis, non habet locum in Confessione venialium, neque mortalium alias clavibus directe subjectorum: unde, quando pœnitens non potest ista fateri sine revelatione complicis in materia gravi, debet eorum Confessionem omittere, ex eodem: habet tamen locum hæc doctrina in peccatis dubiis mortalibus, nunquam alias rite clavibus subjectis, ex eodem. Rursus, cum nonnulli Auctores velint, esse causam sufficientem revelandi complicem, correctionem faciendam ipsi a Confessario, ac propterea censeant, posse interrogari a Confessario pœnitentem de complice, ex fine correctionis, & obtenta pœnitentis licentia illum corrigere, dico, quod hæc doctrina licet, per se loquendo, & secluso scandalo, possit tuta conscientia ad praxim deduci, ea tamen non videtur consulenda, nisi in casu, in quo non sit alius, qui præter Confessarium possit complicis correctionem efficere. Quamobrem optime mo-

monet Fagundez *de Eccl. præc. l.5.cap.2.* cavendum esse, *ne petatur, ut detur hac licentia, sine causa urgentissima, & in negotio etiam gravissimo.* Imo sapienter de more animadvertit Suarez *disp.34. de Pæn.* hæc servanda in tali casu esse: 1.ut Confessor propter hunc finem correctionis non interroget in particulari personam complicis, nisi pœnitens sua sponte illam declaret; quia exponeret se periculo infamandi proximum sine necessitate: potest tamen in generali interrogare, an complex indigeat correctione, &, juxta responsionem pœnitentis, generaliter illum monere, ut suæ obligationi satisfaciat: 2.ne statim se invitet ad correctionem faciendam; quia hoc ipso, quod Confessor se offert ad illud munus, pœnitens non tam libere & sponte procedit in hoc negotio, sicut par est: 3.ne aliquid exigat a pœnitente tanquam debitum ex obligatione præcepti, quod revera non sit, sed vere, & fideliter illi proponat, quid ex præcepto agere teneatur, quid vero tantum liceat; alioqui graviter deciperet pœnitentem, si sub titulo ficto, & non vero necessitatis, aut præcepti, eum cogeret vel ad revelandum complicem, vel ad dandam facultatem corripiendi illum, aut aliquid simile, & consequenter in hoc graviter peccaret vel contra justitiam, vel contra sigillum &c. ex Suarez *loc. cit.* Addo ex Card. de Lugo *de Pæn. disp.26. n.392. & seq.* & ex Bannez *2.2. q.32. art.8. post tract. de corr.* posse contingere, ut gravia damna timeantur a complice, & pœnitens non possit ea impedire, sed solus Confessarius; in quo casu, ut innuimus, tenetur quidem pœnitens Confessario manifestare complicem, sed expedit, ut id fiat extra Confessionem, ex la Croix *l.6. p.2. num.1752.* Quod si pœnitens spondeat impedire per se ipsum, & Confessarius habeat prudentem causam dubitandi, an id facturus sit, non potest cogere, ut manifestet complicem; attamen potest, & juxta Bannez debet differre Absolutionem, donec renunciet, se id fecisse. Cavendum tamen, ne quid fiat contra Constitutionem 134. *Suprema omnium* Bened.XIV. *tom.1. ejus Bull. pag.535.* ab eodem Pontifice denuo confirmatam per duas alias Constitutiones, nempe 8. *Ubi primum*, & 20. *Ad eradicandum*, quæ habentur *tom.2. ejusd.Bull. pag.54. & pag.143.*

CAPUT III.

De subsequentibus sacramentalem Confessionem.

§. I.

De Absolutione.

21. ABsolutio, quæ est pars essentialis hujus Sacramenti, & dicitur forma, in qua præcipua hujus Sacramenti vis sita est, ex Tridentino *sess.14. de Pænit. cap.3.* & quæ determinat actus pœnitentis, ut hic & nunc constituant hoc Sacramentum, cum ex illis actibus, & hac Absolutione resultet integrum Sacramentum Pœnitentiæ, describi potest sic: *est prolatio sententiæ facta a Sacerdote potente, & volente absolvere a peccatis.* Unde, si Sacerdos aut non haberet jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam; aut

aut non haberet intentionem vel actualem, vel virtualem, nulla esset, & invalida Absolutio: in qua expendemus 1. an, & quibus verbis necessario constare debeat: 2. qualiter absolute, & conditionate proferenda sit: 3. cui danda sit: 4. cui neganda, vel differenda: 5. quando demum danda sit.

22. Hæc itaque Absolutio non potest confici nutibus, aut exprimi aliis signis, quam verbis a Sacerdote prolatis. Ita communiter, ex Tridentino *sess.* 14. *cit. cap.* 3. Verba autem debent esse hæc: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*: cum hac tamen differentia, quod omnia hæc verba necessario proferri debeant necessitate præcepti, ex communi; & quamvis aliqui dubitent de qualitate præcepti, an graviter, vel leviter obligantis, ut Bonacina dubitat de præcepto invocationis Trinitatis, tamen omnes conveniunt, quod graviter obligat præceptum exprimendi ly *a peccatis*. Non vero omnia verba necessario proferri debent necessitate Sacramenti; nam etsi ad hujus valorem sufficiant hæc verba: *Absolvo te*: tamen hæc opinio, speculative valde probabilis, non est ad praxim deducenda, ob primam propositionem ab Innocentio XI. damnatam, nisi in casu necessitatis &c. Prædictis verbis mutatio substantialis contingeret, si proferrentur deprecativo modo, v.g. *Absolvat te Christus*: Castropalaus ex communi; non autem mutatio substantialis interveniret, si diceretur reverentiæ causa erga pœnitentem: *Absolvo Dominationem vestram*. Orationes ac preces tum antecedentes, tum subsequentes, etsi laudabiliter ac rite proferantur, non sunt tamen de necessitate, & rationabili causa omitti possunt, v.g. in Confessionibus brevibus, & quando multi sunt confitentes, Busembaum ex communi. Sensus horum verborum: *Absolvo te a peccatis*: significat veram a peccatis Absolutionem: cum autem peccata ligent peccantem multis vinculis, Absolutio a peccatis non determinat vinculum, a quo pœnitentem absolvit; sed ad omnia vincula, quibus pœnitens tenetur, se extendit. Hinc, quia pœnitens nunquam est antecedenter ita a peccatorum vinculis absolutus, ut sit etiam solutus ab improportione, & indignitate abundantioris gratiæ recipiendæ, quam contraxit ratione peccati commissi, idcirco sensus Absolutionis a peccatis semper est verus, ex Castropalao *hic num.* 6.

23. Prædicta verba Absolutionis proferri debent absolute, non conditionate, nisi quando dubium esset, an pœnitens esset rite dispositus, & rationabilis atque urgens causa exigeret, ut absolveretur; tunc enim posset Absolutio concedi sub conditione de præsenti, mente saltem retenta, v.g. *si es capax, ego te absolvo &c.* nunquam vero proferri potest Absolutio sacramentalis sub conditione de futuro, v.g. *Absolvo te, si restitues*, ex Castropalao *hic* cum communi.

§. II.

Cui danda, vel neganda, vel differenda sit Absolutio.

24. POEnitenti rite disposito, & de quo Confessarius tum ut judex, tum ut medicus prudenter judicat, esse rite dispositum, danda omnino est Absolutio; ita ut graviter peccaret Confessarius eum sine Absolutione dimittens, non solum quando Confessio fuit facta de materia necessaria, sed etiam quando fuit facta de materia dumtaxat sufficienti, v.g. de venialibus, ut probabilius docet Castropalaus *tract.* 1. *de consc. p.*4. contra Sanchez docentem, quod non dare Absolutionem pœnitenti rite disposito confitenti venialia, sit dumtaxat veniale. Limites sententiam Castropalai, dummodo ipse pœnitens non consentiat, & dummodo non habeat reservata; in hoc enim casu est remittendus pœnitens ad superiorem, ut alibi dicemus, nec debet, nisi urgente aliqua gravi causa, & expositis aliis peccatis non reservatis, absolvi, & tunc cum onere comparendi, seu se præsentandi superiori, etiamsi Confessarius fuerit ex Mendicantibus, quo ad casus reservatos Episcopo; nam proscripta est ab Alexandro VII. hæc propositio *num.*12. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

25. Dilatio Absolutionis, & negatio Absolutionis, sunt duo valde diversa non solum quo ad verba, quibus a Confessario exprimitur negatio, & exprimitur dilatio, sed etiam quo ad rem; nam negatio Absolutionis supponit, non esse in pœnitente jus ad illam simpliciter, & de facto tale jus illi inesse negatur a Confessario, quando negatur Absolutio: dilatio vero non supponit, deesse simpliciter pœnitenti jus ad Absolutionem, sed supponit, vel tale jus illi inesse sub aliquo dubio, vel esse quidem, at non ad habendam statim Absolutionem, vel esse tum sine dubio, tum etiam ad habendam statim Absolutionem, spectato munere substantiali Confessoris, & pœnitentis, non tamen spectato munere accidentali, seu secundario, quod est consulere majori utilitati, & majori fructui animæ. Jam vero neganda est Absolutio pœnitenti, qui non est rite dispositus, Suarez *disp.*32. ex communi. Hujusmodi autem est inter cæteros pœnitens, qui ignorat mysteria Fidei ad salutem necessaria, ut constat *ex prop.* 64. *damnata ab Innocentio XI.* item nolens rem alienam restituere, aut famam: item nolens injuriam condonare: item nolens deserere proximam, & voluntariam occasionem peccandi, *ex prop.*61. *damnata ab Innocentio XI.* volens directe & ex professo eam quærere, aut ei se ingerere, *ex eadem propositione:* volens directe eam quærere pro bono spirituali, vel temporali suo, vel proximi; *ex prop.* 63. *damnata ab Innocentio XI.* volens eam non fugere, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit, *ex prop.* 62. item habens consuetudinem peccandi, quam nolit aperire Confessario interroganti, vel in quo eam faten-

fatente nulla appareat spes emendationis, etiamsi dicat, se dolere, & proponere emendationem, ut constat *ex prop.* 58. & 60. *damnatis ab eodem Innocentio XI.* Unde proloquium illud: *In foro conscientiæ credendum est homini pro se, & contra se loquenti*: intelligendum est, dummodo homo fidem mereatur, nec sit præsumptio in contrarium.

26. Porro differenda est Absolutio 1. quando Confessarius prudenter judicet, Absolutionem statim, & faciliter impetratam, futuram esse per accidens occasionem pœnitenti, ut iterum relabatur: 2. quando idem prudenter judicet expedire dilationem Absolutionis, ut pœnitens reddatur magis cautus, & magis confirmetur in bono proposito, & quidem tali modo expedire, ut sit medium hic & nunc fere unicum in ordine ad talem finem: 3. quando idem prudenter judicet, dilationem expedire ad talem finem, sed non esse hic & nunc medium ad illum necessarium, sed dumtaxat opportunum; cum hac tamen differentia, quod in 1. & 2. casu videatur Confessarius non solum posse, sed teneri differre Absolutionem, cum sit non solum judex, sed etiam medicus; in tertio vero videatur posse quidem, extra articulum mortis, & extra casum quo pœnitens non sit facile amplius habiturus occasionem confitendi, vel in desperationem casurus, posse (inquam) differre, sed non teneri: imo, quia hoc remedium differendi Absolutionem, sive Sacerdos eo utatur ut judex ad cognoscendam dispositionem pœnitentis, sive ut medicus ad emendationem ejus, quem scit esse dispositum, regulariter est periculosum, ut ait Francol. *in Cler. Rom. l.* 1. *disp.* 5. idcirco parce, & cum grano salis adhibendum est: unde sæpius expedit, ut monet Castropalaus *tract.* 23. *p.* 13. quod Confessarius sive ut judex, sive ut medicus, cognoscens pœnitentem indispositum, aut de ejus sufficienti dispositione dubitans, non illum dimittat statim inabsolutum, sed salutaribus monitis adjuvet, disponat, & dispositum absolvat: quin etiam cum eodem Castropalao *loc. cit.* censemus, quod Confessarius advertens pœnitentem indispositum inculpabiliter, teneatur exhortationibus, interrogationibus, ac salutaribus monitis illum disponere, nec possit illum statim, eo renuente, inabsolutum dimittere, tametsi possit aliquantulum Absolutionem differre, donec disponatur.

§. III.

Quando danda sit Absolutio?

27. FAlsum omnino est, quod Absolutio sacramentalis debeat dari post peractam pœnitentiam, ut constat *ex prop.* 16. *damnata ab Alexandro VIII.* Nec consuetudo, quæ est in Ecclesia, eam dandi ante peractam pœnitentiam, potest ullo modo dici abusus, *ex prop.* 18. *ab eodem Pontifice damnata*; sicuti etiam cum Platelio erroneum censemus generatim asserere, differendam esse Absolutionem pœnitenti, donec per tempus aliquod notabile a peccatis commissis abstinuerit. Illud vero omnino tenendum, ut verba Absolutionis aliquo modo sint simul, & ut aliquo modo conjungantur cum ipsa Confessione sacramentali; quia, nisi aliquo modo conjungerentur,

non facerent aliquo modo unum, ex Suarez *de Sacr. disp.2. sect.2.* Quanta vero debeat esse hæc simultaneitas, seu conjunctio, non potest certa regula definiri, ac propterea est moraliter pensanda, dicendumque, quod ea simultaneitas sufficiat, quæ moraliter satis sit, ut idem judicium peragi, & per sententiam consummari intelligatur, ex eodem *ibidem*. Cum autem idem judicium peragi recte intelligi possit, etiamsi aliquo tempore post factam Confessionem detur pœnitenti præsenti Absolutio, hinc non immerito Gobat *tract.1. de Sacr. in gener. sect.2.* secutus Tamburinum, putat, quantum est ex hoc capite, rite se gessisse Sacerdotem quemdam, qui pœnitentem absolvit non statim post auditam Confessionem, & injunctam satisfactionem, sed post integram fere horam, in qua ipse Confessor debuit in loco eodem Confessionis, ex urgenti necessitate, prolixum sermonem habere cum quodam magnæ auctoritatis Principe. Quamquam pro praxi, si similis casus occurreret, nec res improvisa faceret Confessarium immemorem officii sui, ut fortasse contigit in relato eventu prædicti Sacerdotis, deberet Confessarius, antequam loqui cum Principe incipiat, proferre verba Absolutionis; non enim videtur, quod Confessarius, monitus adesse Principem volentem eum alloqui, debeat secundum regulas Christianæ vel urbanitatis, vel observantiæ, prorsus subito abrumpere cœptum, & eo usque perductum ministerium; quinimo, si id faceret, vix censet Gobatus occurrere rationem eum excusandi saltem a veniali: nam reverentia debita Sacramento exposcit, ut in tali casu Confessarius petat a Principe licentiam tantillæ moræ, ut tam sanctum ministerium conficiat.

§. IV.

De Satisfactione sacramentali.

28. Satisfactio, quam diximus esse partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ, tria nobis exponenda exhibet, quæ tenent se quo ad illam 1.ex parte ipsius Satisfactionis: 2.ex parte Confessoris: 3.ex parte pœnitentis. Dicimus igitur, quod Satisfactio sacramentalis est. *Executio operis a Confessario in pœnitentiam peccati confessi virtute clavium pœnitenti injuncta*. Hæc autem executio quamvis per se solam spectata habeat vim remittendi pœnas peccatis debitas, quia, ut supponimus, est actus virtutis factus ab homine justo; tamen, ut est pars integrans Sacramentum præteritum, habet majorem vim ex institutione Christi ad eas pœnas delendas. Unde non solum ex opere operantis, sicuti satisfactio mere voluntaria, sed etiam ex opere operato causat hunc effectum remissionis pœnæ; ac propterea per hanc sacramentalem Satisfactionem major pars pœnæ remittitur in non ponente obicem, quam, cæteris paribus, remitteretur per satisfactionem voluntariam. Quemadmodum vero incertum est, quanta sit ea major portio pœnæ, quæ ex opere operato remittitur, cum id soli Deo cognitum sit; ita certum est, hanc pœnæ remissionem non conferri exequenti hanc Satisfactionem in statu peccati mortalis, seu obicem ponenti; siquidem non vivens in Christo, nequit Chri-

Christo satisfacere. Rursus huic Satisfactioni concedimus vim impetrandi gratias prævenientes, & auxilia Divina, quibus pœnitens juvatur, ut in posterum cautius vivat, & a peccatis abstineat. Utrum vero ex opere operato causet augmentum gratiæ sanctificantis, controversia est gravis inter Auctores, ut cernere est apud Salmanticenses, qui argumenta pro utraque opinione, ac DD. referunt; & quamvis pro parte affirmativa stent eximii Theologi Cajetanus & Suarez, tamen quia hoc non obstante Card. de Lugo *disp.25. sect.1.* expresse ait, probabiliorem esse partem negativam, asserimus cum Castropalao, quod Satisfactio sacramentalis non causat ex opere operato augmentum gratiæ sanctificantis, cum ipsa neque sit Sacramentum, neque pars essentialis ipsius, neque sit instituta ad reconciliandum pœnitentem cum Deo.

29. Confessarius regulariter, & per se loquendo, tenetur hanc Satisfactionem pœnitenti injungere: unde, per se loquendo, peccaret graviter, si id omitteret, ut docent Castropalaus *tract.23.disp.unic.p.21.*& Salmanticenses, *tract.6. cap.10.* qui volunt, hoc procedere, quando Confessio facta fuerit de mortalibus, non autem quando facta fuerit de venialibus, vel de mortalibus antea confessis; tunc enim probabiliter asserunt cum de Lugo, quod Confessarius omittens injungere Satisfactionem, peccaret solum venialiter. Nos tamen cum Castropalao censemus, quod Confessarius in utroque casu graviter peccaret; siquidem in utroque casu, ut bene notat Moya, inferret grave damnum, & injuriam pœnitenti. Diximus, per se loquendo; nam aliquando potest Confessarius licite ministrare hoc Sacramentum nulla injuncta Satisfactione, nempe quando absque pœnitentis præjudicio eam injungere omitteret, aut quælibet Satisfactio esset impossibilis, ut contingeret 1. si pœnitens esset morti proximus, adeoque nullam posset adimplere: 2. si ex Confessione, & aliis circumstantiis intelligeret, pœnitentem jam integre satisfecisse pro pœna debita; quod tamen raro eveniet: 3. juxta nonnullos Doctores, si prudenter judicaret pœnitentem non adimpleturum ullam Satisfactionem, cum non teneatur Confessarius vitare damnum quo ad non remissionem pœnæ, quod passurus est pœnitens, cum majori ipsius pœnitentis damno; in quo casu, sicuti & in superioribus, non esset fortasse immunis Confessarius ab aliqua culpa saltem levi, si non curaret levissimam aliquam Satisfactionem injungere, nisi forte etiam hæc, ut in 1. casu videtur supponi, esset impossibilis. Præterea, etsi de facto non detur determinata regula, cui debeat se conformare Sacerdos impositurus Satisfactionem, ut notat Card. de Lauræa *disp.22. num.108.* ideoque regula in hoc sequenda, sit dictamen pii & prudentis Confessarii, tamen ex Tridentino *sess.14. cap.8. de Pœnit.* universi docent Auctores, teneri Confessarium Satisfactionem imponere peccatis pœnitentium, spectatis omnibus circumstantiis, proportionatam, ita ut peccaret graviter, si pro quibusvis peccatis gravissimis leves tantum pœnitentias promiscue imponeret. Ob varias autem circumstantias posset Confessarius minorem Satisfactionem injungere, quam mereantur peccata, v. g. ob vehementiam doloris in pœnitente, ob ejusdem debilitatem, ob tempus Jubilæi, ob


ob dubium prudens, ne gravior Satisfactio obfutura potius sit, demum ob alliciendum sic pœnitentem ad frequentiorem, utilemque Confessionem. Cæterum circa qualitatem operis injungendi pro Satisfactione censemus cum communi, debere esse opus bonum moraliter, & de se Deo gratum, item debere esse pœnosum, & naturæ humanæ afflictivum; quam conditionem habent omnia opera bona post naturæ lapsum: non necessario tamen requiritur, quod sit opus supererogationis; cum aliquando imponi possit, imo aliquando expediat, imponi opus alias præceptum; etsi, quoties Confessarius opus aliquod injungit, intelligatur injungere opus alias non præceptum, nisi contrarium vel ex verbis ipsius Confessarii, vel ex communi consuetudine intelligatur. Quod autem Joannes Sancius velit, necessario debere esse opus externum, hoc non admittimus: unde cum Suarez, aliisque putamus, esse posse, imo aliquando expedire opus internum, v.g. piam aliquam meditationem: sicuti etiam probabilius videtur, & tutum, quod pro tali Satisfactione imponi possint preces, & alia pietatis opera præstanda pro defunctis. De tempore, quo hæc Satisfactio injungi debet, dicimus, injungi posse tum ante, tum statim post Absolutionem: consultissimum autem est ex praxi Ecclesiæ, quod injungatur ante Absolutionem; post quam raro sunt omittenda illa verba: *quidquid boni feceris &c.* cum probabiliter aliquid operentur, & prosint ad Satisfactionem.

§. V.

An pœnitens teneatur acceptare Satisfactionem injunctam?

30. Pœnitens, per se loquendo, tenetur sub gravi Satisfactionem a Confessario injunctam, & rationabilem acceptare, & acceptatam exequi: unde qui docent Satisfactionem in voto esse partem essentialem Sacramenti, non immerito loquuntur: cum votum, seu propositum exequendi Satisfactionem, includatur in proposito universali servandi omnia mandata graviter obligantia, quod, ut supra vidimus, est pars essentialis Sacramenti, siquidem est illa Contritio requisita ad Confessionem. Advertenter diximus, rationabilem; nam, si injusta esset, & irrationabilis sive ob gravitatem, sive ob temporis diuturnitatem, posset pœnitens illam recusare, & ad alium Confessarium recurrere: sicuti etiam advertenter diximus, per se loquendo; nam ob levitatem materiæ posset, ex communi cum Castropalao, & Suarez, excusari pœnitens a mortali, si post acceptam Satisfactionem, eam non exequatur; nunquam tamen potest excusari a mortali, si nolit Satisfactionem rationabilem, esto levis sit, acceptare, & velit absolvi. Addimus, quod talis obligatio eam exequendi urget pro tempore præscripto a Confessario, &, si nullum præscriptum fuerit, urget, cum primum commode quis possit, siquidem ea videtur intentio Confessarii. Quod si contingat, ut Satisfactionis injunctæ pœnitens obliviscatur, cessat ejus obligatio: tunc tamen expedit, uti etiam, si fiat impossibilis, aliam, vel commutationem ejus petere. Non potest autem pœnitens propria auctoritate Satisfactionem sibi injunctam in aliam mutare,

tare, etiamsi evidenter meliorem, &, ut constat *ex prop.15.damnata ab Alexandro VII.* non potest propria auctoritate alium substituere, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat: imo cum de Lugo *disp.25. sect.5. d.4.* neque id potest de licentia Confessarii; quia Satisfactio ex Tridentino *cit.sess.14.*est actus ipsius pœnitentis. Admittimus, quod non solum ab eodem Confessario, sed ab alio etiam prior Satisfactio injuncta, ex justa causa, potest in aliam commutari: in hoc autem ultimo casu commutationis faciendæ ab altero Confessario, probabilius videtur, quod repetenda sit saltem in confuso prior Confessio. Quamvis vero nonnulli Auctores, quales sunt Vasquez, Bonacina, Navarrus, aliique, putent, posse a Confessario inferiori commutari suo pœnitenti Satisfactionem illi impositam a superiore pro reservatis, dicendum tamen, quod talis ab eo commutatio fieri non possit per se, & jure ordinario loquendo. Ita Suarez *tom.4. in 3.p. d.38. sect.10.* Mastrius, Tabiena, Sylvester, aliique tum veteres, tum recentiores, & videtur hæc sententia communior. Ratio est; quia pœnitentia illa a superiore injuncta includit quoddam præceptum a superiore impositum, quatenus superior est: sed inferior non potest mutare præceptum superioris, per se loquendo, ac jure ordinario: ergo &c. Addidi ly per se, & jure ordinario: quod diligenter notes; nam per accidens, v. g. urgente aliqua gravi necessitate, vel pia utilitate, nec facili existente recursu ad superiorem, poterit fieri talis commutatio: siquidem tunc pie præsumitur, hanc esse intentionem superioris. Placet hic adjungere, quod sicuti optime imponitur pro Satisfactione frequentia Confessionis, uti contra Navarrum docent Vasquez, Layman, Toletus &c. ita raro, vel nunquam expediet, ut pœnitens obligetur ad confitendum cum eodemmet Confessario, ex Castropalao *tract.23. p.20.* quamquam salubre consilium sit, ut pœnitens ipse id sponte faciat, quando tamen Confessarius habeat eas qualitates, quas modo recensebimus.



PARS

PARS SECUNDA

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

Quisnam sit Minister hujus Sacramenti, & quænam ejusdem obligationes præcedentes tempore, vel natura, ipsum actum excipiendi Confessionem sacramentalem.

§. I.

31. Minister Sacramenti Pœnitentiæ, cujus obligationes, ac proprietates tum antecedentes sive tempore, sive natura, ipsum actum excipiendi Confessionem, tum eumdem concomitantes, tum subsequentes, in breve coactas, & suis capitibus distributas exponam, est solus Sacerdos, ac necessario debet esse distinctus a suscipiente, ex communi. Et quidem prima assertio est de Fide, definita in Concilio Florentino *in litteris unionis*, & Tridentino *cit. sess.14. cap.6.* Altera vero satis colligitur ex verbis Christi *Joan.20. Quorum remiseritis peccata &c.* quibus indicatur distinctio remittentis, ab eo cui fit remissio. Ac proinde nunquam laicus, neque in extrema necessitate, deficiente Sacerdote, potest sacramentalem Confessionem excipere, etiamsi ista fiat de solis venialibus; quorum Confessionem, etiamsi aliqui putaverint, posse fieri laico per modum cujusdam sacramentalis, id tamen, ut bene docet Suarez *disp.24.de Pœnit.* nullum habet fundamentum. Rursus non posset unquam Sacerdos se ipsum absolvere, ac sibi peccata judicialiter remittere, ex communi; nec Pontifex, aut Ecclesia potest in hoc dispensare, aut in eo, ut aliquis non Sacerdos, sit minister hujus Sacramenti; siquidem Pontifex, aut Ecclesia institutionem Christi mutare non potest, ex communi apud Suarez *disp.24.* & Castropalaum *tract.23. punct.13.*

32. Sacerdos, quamvis malus sit, aut peccator, est tamen sufficiens minister hujus Sacramenti, atque id de Fide credendum est, ex Tridentino *sess.14. can.10.* Verum, non hoc ipso, quod quis est Sacerdos, potest hoc Sacramentum valide ac licite ministrare; sed, supposito Sacerdotio, aliquæ res sunt ulterius necessariæ ad hoc, ut quis valide, aliquæ ad hoc, ut quis licite hoc Sacramentum ministret, ex communi: unde licet omnis Confessarius sit Sacerdos, non tamen omnis Sacerdos est Confessarius, qui bene ex Gobato *tract.7. cas.1.* describi, aut definiri potest sic: *Confessarius est Sacerdos præditus potestate completa ligandi, atque solvendi in foro sacramentali.* Cum autem hæc in Sacerdote potestas per se, & quo ad materiam necessariam, sine controversia compleatur per concessionem alicujus rei factam ab Ecclesia, sequitur, quod valor hujus Sacramenti ex parte ministri pendeat ab aliqua concessione, vel prohibitione Ecclesiæ, quod est singulare huic Sacramento, inter cætera, ut advertit Suarez. Dixi, quo ad materiam necessariam;

riam; nam Auctores olim fere omnes convenientes in asserendo, quod facultas absolvendi a materia mere sufficienti, idest a venialibus, & mortalibus alias rite confessis, esset complete concessa omni Sacerdoti in Ordinatione, discrepabant in judicando, an talis concessio haberetur ex jure Divino, vel potius ex Ecclesiæ benignitate: asserentibus aliis cum Vasquez *de Pœn. q.93. art.5. dub.8.* haberi ex jure Divino; aliis contendentibus cum Suarez *disp.26. sect.5. & seqq.* haberi ex jure Ecclesiastico. Nos in præsenti, præscindentes ab hac controversia, asserimus, esse omnino illicitum simplici Sacerdoti audire Confessionem venialium, aut alterius materiæ pure sufficientis, ex prohibitione facta a Sacra Concilii Congregatione *anno* 1679. annuente Innocentio XI. Quod si, ea non obstante, simplex aliquis Sacerdos id attentaret, quamvis probabiliter Platelius, & Clericatus *decis.15. de Pœn.* putent invalidam futuram Absolutionem, censemus tamen, probabilius esse, quod ea futura sit valida, uti docent Cardenas *disp.2. cap.6.art.9.&* 10. la Croix *l.6. part.2. num.*1489. quia, etiamsi stet, talem concessionem haberi ab Ecclesia, non ex hoc, quod Pontifex velit tantum prohiberi, & non permitti, sequitur, tolli jurisdictionem, vel irritari Absolutionem. Dixi, per se; nam per accidens, v.g. in articulo mortis, quando vera interveniat necessitas ministri, quilibet Sacerdos habet potestatem completam ligandi, atque solvendi, ut certum est ex Tridentino *cit. sess.*14. *cap.*7. At dubitatur inter Auctores, unde tunc habeat Sacerdos suæ potestatis complementum? Qua in re relictis iis, qui docent haberi ex jure Divino, uti specialiter docet Armilla *verb. Absolutio*, asserimus cum Suarez *disp.26. sect.4.* haberi ab ipsa Ecclesia.

33. Porro in prædicto casu ita quilibet Sacerdos habet completam potestatem, ut I. nullus Sacerdos excipiatur, quamvis esset excommunicatus, hæreticus, degradatus, suspensus, irregularis, uti ex Tridentino inferunt Suarez *disp.26. sect.4.* Sanchez *in decal. lib.2. cap.*13. aliique communiter: quamvis contradicant aliqui cum Fagnano, allegantes quamdam declarationem Sacræ Congregationis, de qua cum non meminerint neque recentiores, neque veteres gravissimi Auctores, credendum est, eam aut non esse authenticam, aut ex alia ratione non obstare communi assertioni, præsertim cum Urbanus VIII. *anno* 1631. mandaverit, hujusmodi declarationibus, quæ circumferuntur, fidem non esse adhibendam, nisi authentica forma, & solito sigillo &c. munitæ fuerint. Non per hoc tamen excluditur, quin talis Sacerdos teneatur in eo casu facere, quod in se est, ut digne ministret: faciet autem, si contritionem eliciat, etiamsi a censura solvi non possit, ex Suarez *ibidem*. II. non excipiatur ullus casus: unde quilibet Sacerdos posset in eo articulo absolvere a quolibet casu, & censura reservata; imo, proprie loquendo, nulla tunc est reservatio, ut docet Tridentinum *sess.*14. *cap.*7. unde Platelius, ac Busembaum cum Suarez, & Bonacina *disp.5. quæst.7. punct.*1. censent non immerito, probabile esse, quod absolutus in articulo mortis, non teneatur postea se sistere superiori, vel alteri pro reservatis, quia directe absolutus fuit ab illis. Excipe tamen, si peccato reservato annexa esset excommunicatio, aut censura alia reservata; quia facultas absolvendi a censuris reserva-

 tis,

tis, non datur in articulo mortis cuilibet Sacerdoti, nisi sub onere postea comparendi coram superiore; ut constat *ex Cap. De cætero, de sent. excomm. & ex Cap. Eos qui, eodem tit. in 6.* apud Suarez *disp.*30.*sect.*3. sed de hoc distinctius infra agendum erit.

34. Notanter superius posui ea verba, *quando vera interveniat necessitas ministri*; nam, ut quilibet Sacerdos possit in eo articulo valide & licite ministrare hoc Sacramentum, debet non adesse alius Sacerdos, ad quem ex officio, vel delegatione, tale munus pertineat: & quamvis Salmanticenses *tract.6.cap.*11. adhærentes huic nostræ sententiæ, multos Doctores contrarium non improbabiliter sentientes afferant, his tamen Doctoribus non acquiescendum judico, saltem propter illud principium, quod in summo salutis æternæ periculo tutior, & communi usui conformior opinio est consulenda, & practicanda, ut monet Gobatus *tract.*7. *num.*133. præsertim ubi aliud extrinsecum incommodum non occurrit, ex Suarez *disp.*30. *sect.*3. Quare ex Suarez servandus est hic ordo, ut Sacerdos habens jurisdictionem præferatur illam non habenti, approbatus non approbato, expeditus impedito a censura aliqua &c. quia talis videtur semper fuisse Ecclesiæ consuetudo, quam Patres Concilii Tridentini, nolentes in hoc puncto jus novum condere, solum approbarunt, & commendarunt, ex de Lugo *disp.*18. *sect.*2. §.2. Hæc doctrina suas habet limitationes: nam poterit quilibet Sacerdos ministrare, etiam præsente proprio, vel delegato Confessario, I. si hic præsens nolit audire Confessionem moribundi, ex Sanchez *lib.*2. *in dec. cap.*13. II. si Confessio incepta fuerit coram non proprio, nec delegato, ac deinde superveniat proprius, vel delegatus, poterit enim tunc ab illo continuari auditio Confessionis, & dari Absolutio, ex eodem *ibidem*: III. si Confessio coram simplici Sacerdote facta, esset repetenda ob nullitatem Absolutionis ex aliquo defectu pœnitentis, v.g. mendacii; posset enim ea repeti coram eodem simplici Sacerdote, etiam superveniente legitimo Confessario, eoque præsente, ex Sanchez *ibid.* & Clericato *dec.*37. *de pœnit.* Rursus cum Gobato *tract.*7. *num.*135. sicuti censemus, adesse veram necessitatem ministri, ac proinde posse valide hoc Sacramentum ministrari a quolibet Sacerdote, quando homo constitutus in eo articulo nequit ipse Confessarium adire commode, nec eumdem commode accersere, quia vel non veniet, vel non sine nota; ita non obligamus talem pœnitentem, ut mittat Sacerdotem præsentem ad superiorem, aut per litteras petat ab illo facultatem confitendi huic, vel alteri, quia id non præcipit Ecclesia.

35. Nomine articuli mortis intelligitur ex Gobato tum stricte dictus articulus mortis, seu status, & tempus, quo mors proxime instat, & est moraliter certa, ac fere inevitabilis, tum late dictus, seu periculum probabile mortis, idest status, & occasio, in qua, spectata rerum natura, & spectato eo, quod solet in simili occasione evenire, mors etsi non proxime sequetur, probabiliter tamen, ac prudenter potest, ac debet timeri. Unde, quando dicitur, quod simplex Sacerdos habet facultatem completam absolvendi in articulo mortis juxta superius exposita., quamvis Soto *in* 4. *dist.*18. *quæst.*4.

*quæst.*4. *art.*4. & Valentia *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*10. *part.*2. velint intelligi solum articulum mortis stricte dictum, verius tamen censemus cum Sylvestro *verb. Confessio* 1. *quæst.*6. Suarez *disp.*26. *sect.*4. Sanchez *l.*2. *in dec. cap.*13. & Card. de Lugo *disp.*18. *de Pæn.* intelligi articulum mortis tum stricte, tum late dictum; quia aliter plures sine remedio decederent, neque Ecclesia illis opportune de remedio providisset; ut notat Castropalaus *tract.*23. *disp. unic. punct.*13. ac proinde cuilibet Sacerdoti in Ordinatione subjiciuntur, ut ab eo absolvi possint subsequentes: I. damnati ad mortem sive justa, sive injusta sententia: II. banniti illi, quos unusquisque habet potestatem impune occidendi: III. inituri periculosam navigationem, aut periculosum prælium, ut notant omnes cum Rituali Romano, tractantes de hac materia, quorum alii contra alios limitant hanc doctrinam ad casum, quo quis coactus, non autem quo sponte adit hoc periculum, item ad casum, quo jam incipit periclitari navis, non quo illam quis conscendere vult: IV. varii alii, quos enumerant Tamburinus *de Sacr. l.*5. *cap.*11. & Diana *part.*5. *tract.*3. *ref.*93. videndi.

36. Extra itaque hunc casum articuli mortis, qui est per accidens, Sacerdos, ut valide ministret hoc Sacramentum, debet habere ulterius I. jurisdictionem specialiter vel a jure, vel ab homine attributam; II. approbationem; III. carentiam aliquarum censurarum, quæ jurisdictionem auferunt: cum autem hæc duo ultima requisita referantur ad primum, & sint in ordine ad illud, nempe ad jurisdictionem sive recipiendam, sive conservandam, sive exercendam, idcirco hæc duo ultima requisita priori loco exponemus.

§. II.

De carentia censurarum.

37. Requiritur itaque primo loco, ut Sacerdos careat aliquibus censuris, quæ jurisdictionem vel impediunt, vel auferunt, ad hoc ut ipse valide administret hoc Sacramentum, quod, ut infra dicemus, & supra innuimus, jurisdictionem expostulat in ministro ad sui valorem. Censuræ autem, quæ a Sacerdote auferunt jurisdictionem absolvendi, sunt I. si ipse sit excommunicatus vitandus; II. si sit suspensus absolute ab officio, vel determinate a Confessionibus audiendis: III. si sit personaliter interdictus: Layman *l.*1. *sum. tract.*5. *part.*2. *cap.*2. Unde excommunicatus vitandus, qualis est publice denunciatus, vel notorius percussor Clerici, invalide exciperet Confessionem; siquidem Ecclesia jurisdictionem denegat excommunicato vitando, ex communi cum Castropalao *disp.*2. *de Cens. punct.*8. Limites, ne hoc procedat, si Confessionem excipiat in loco, in quo non sit nota ejus excommunicationis denunciatio; quia tunc ille retinet suam jurisdictionem ob præsumptam Ecclesiæ voluntatem, quæ, stante communi errore, censetur concedere quidquid ad valorem actus ex parte sua necessarium est, ne Fideles decipiantur, ex Castropalao *ibidem*, & ex Bonacina *disp.*2. *quæst.*2. *punct.*2. §.4. Imo advertas, quod, juxta Suarez *de censur. disp.*13. *sect.*1. valide ministraret hoc Sacramentum ille Parochus, qui esset quidem publicus excommuni-

municatus ob delictum publice commissum, cui annexa sit de jure excommunicatio (non intelligas Clerici percussorem), sed adhuc non est per sententiam judicis denunciatus; quia, supposita Extravaganti *Ad evitanda*, non esset talis excommunicatus vitandus, cui ab Ecclesia aufertur jurisdictio. Rursum suspensus absolute ab officio, vel suspensus determinate ab hoc officio audiendi Confessiones, invalide eas exciperet. Limites, dummodo sit suspensus vitandus, qui ex Suarez *disp.29. sect.5. de cens.* usque ad denunciationem in particulari, & proprio nomine factam, talis non erit; in hoc enim solo casu denunciationis factæ per Extravagan. *Ad evitanda* obligantur Fideles evitare suspensum in his, a quibus suspensus est; & dummodo non adsit error communis, & titulus coloratus, qui tribuat jurisdictionem. Idem prorsus censendum de personaliter interdicto, ut videre est apud Bonacinam *disp.5. de Pœn. quæst.4. punct.4.* Porro, an per meram prohibitionem factam a superiore audiendi Confessiones tollatur, vel suspendatur jurisdictio ad illas, & consequenter Sacerdos debeat carere etiam tali prohibitione ad valide ministrandum hoc Sacramentum, gravis est controversia inter Auctores, de qua aliquid innuimus *num.32.* sed nunc ab ea præscindentes, solum asserimus, quod, si Prælatus Regularis tantum prohibeat suo Religioso uti facultate audiendi Confessiones, non ideo redditur usus, seu Absolutio invalida, ex la Croix *lib.6. part.2. num.1546.*

§. III.

De approbatione.

38. Requiritur secundo loco in Sacerdote ad valide ministrandum hoc Sacramentum approbatio. Hæc autem est: *Authentica, seu auctoritativa declaratio ac testificatio, qua declaratur, personam, quæ approbatur, esse instructam qualitatibus necessariis ad fungendum officio Confessarii, dummodo accedat jurisdictio.* Ita ex Gobato *tract.7. cas.1.* Ex qua definitione patet, approbationem esse quid distinctum a jurisdictione, ejusque collatione: siquidem approbare aliquem est declarare, illum esse dignum, cui a legitimo superiore possint re ipsa, & in actu secundo committi subditi, in quos exerceat potestatem clavium; at dare, seu conferre jurisdictionem, est assignare ipsi re ipsa subditos, in quos prædictam exerceat potestatem: unde approbatio est actus intellectus, collatio jurisdictionis est actus voluntatis. Verum, esto approbatio sit quid distinctum a jurisdictione, ejusque collatione, regulariter tamen collatio jurisdictionis conjungitur cum approbatione; superior enim legitimus, Sacerdotem approbans, simul jurisdictionem concedit, ut docet Castropalaus *tract.23. punct.16. §.1.* nisi forte iste aliunde habeat jurisdictionem, ut contingit in Regularibus, qui approbantur quidem ab Episcopis, sed jurisdictionem habent a Papa sive immediate, ut sentiunt plerique, sive mediate, idest mediante ministerio Episcoporum, ac de eorum manu, ut magis placet Clericato *decis.38. num.15.*

39. Approbatio autem duplex est, expressa videlicet, & tacita. Approba-

probatio tacita est, quando Episcopo constat, hos, vel illos Sacerdotes libere audire Confessiones in sua diœcesi sine sua expressa approbatione, & tamen dissimulat, cum facile posset se opponere: item quando habens potestatem approbandi, dicit Sacerdoti non approbato: *Audi Confessionem hujus pœnitentis, vel audi, si velis, omnes volentes confiteri tibi*: nam in primo casu approbatur Sacerdos respectu unius, in secundo approbatur respectu omnium, adeoque absolute, ex Gobato *tract.7. cas.2. num.44.* Expressa est, quæ fit vel per collationem Parochialis Beneficii, in quo casu Sacerdos approbatur ab Ecclesia, ut placet Cardinali de Lugo *de Pœn.disp.21. sect.3.* aut a Prælato conferente illud Beneficium, ut sentit Fagundez. *de præc. Eccles. præc.2. l.7. cap.2.* vel fit per authenticam sententiam, seu contestationem legitimi Superioris de sufficientia Sacerdotis in ordine ad audiendas Confessiones. Et quidem, si expresse quis approbetur per collationem Parochialis Beneficii, requiruntur ad hanc approbationem scripturæ, reliquæque conditiones necessariæ pro valida ejusdem collatione: si vero quis approbetur per authenticam testificationem, non est necessaria scriptura, cum ea neque ex natura rei, neque ex Concilio, neque ex ulla lege canonica, ut notat Suarez *disp.28. sect.5.* appareat necessaria; unde verbo tenus fieri potest, ac sæpe fit. Expedit tamen, ut bene advertit Castropalaus, quod ea habeatur in scriptis, ut certius de eadem constet, quando necesse fuerit.

40. Circa hunc secundum modum expresse approbandi per authenticam sententiam, notandum est 1. quod, licet collatio Beneficii simoniace facta, sit irrita, & consequenter irrita approbatio per talem modum obtenta, tamen verius censemus, approbationem per authenticum testimonium habitam, non esse irritam, si simoniace obtineatur, quia pœnæ non sunt extendendæ ultra casus expressos, ex Suarez *de Pœn. disp.* 28. & Castropalao *tract.23.p.16.* unde gratis quidem debet dari, ut mandat Tridentinum *sess.23. c.25. de reform.* ex defectu tamen hujus conditionis solum sequeretur, quod approbatio esset graviter illicita; graviter, inquam, etiamsi pretium datum esset leve, ut bene contra Fagundez docet Castropalaus *loc.cit.* Notandum 2. quod, si detur Religiosis talis approbatio, debent ii Religiosi esse præsentati a suis Superioribus; aliter censemus cum Henriquez, Fagundez, & Castropalao, fore nullam, & irritam talem approbationem, quamvis non improbabiliter contrarium censeat Card. de Lugo *disp.21. sect.3.* Notandum 3. quod talis approbatio, si videbitur Episcopis necessarium, facienda est per examen præmissum, ex Tridentino *loc.cit.* quod unice spectat ad Episcopum, vel ad eum qui debet approbare: posset tamen is remittere illud, ut constat ex ipso Tridentino ajente: *si videbitur Episcopis necessarium*: quæ necessitas sane non est, quando approbatori sit aliunde satis cognita idoneitas approbandi. Approbatus autem præmisso rigoroso examine, si sit Regularis, & approbatio fuerit simpliciter, & indefinita, non potest iterum ab eodem Episcopo ad examen vocari sine nova superveniente causa concernente Confessiones, ex decreto Sacræ Concilii Congregationis *die 17. Januarii 1654.* & ex Constitutione Clementis X. *Superna*. Causa iterum examinandi potest esse scien-

ſcientia deperdita, ſeu prudens ſuſpicio de ejuſdem amiſſione, ex Clericato *dec.*38. Dixi, ab eodem Epiſcopo; nam hujus ſucceſſor poteſt indiſcriminatim vocare iterum ad examen omnes Confeſſarios etiam Regulares, licet illimitatas licentias habentes, ex Suarez *diſp.*28.*ſect.*8. quia eſt novus Paſtor, & propriam obligationem induit, neque eſt, cur teneatur omnes facultates a prædeceſſore conceſſas, ratas habere. Dixi, ſi ſit Regularis: nam, ſecluſo privilegio, quale eſt reſpectu Regularium ex citato decreto, & ex Motu proprio S. Pii V. apud Suarez, habet jus Epiſcopus vocandi ad novum examen Sacerdotes illos, quos præmiſſo examine ipſemet illimitate approbavit, quamquam non ita facile eo jure uti debeat, ſicuti advertit *loc.cit.* idem Auctor. Imo etiam Parochi poterunt ab eodem Epiſcopo, a quo examinati, & approbati fuerint in concurſu, revocari ad examen, ſi prudens ſuſpicio de eorum imperitia ſuboriatur ex noviter deductis ſupervenientibus etiam extrajudicialiter indiciis, ut probant Card. de Lugo, Card. de Luca, Barboſa, aliique apud Monacellum *part.*1. & apud la Croix *l.*4. *num.*605. quia ſpectat ad officium Epiſcopi providere, ut ſemper idonei curam adminiſtrent; adeoque, ſi in novo examine eos inidoneos reperiat, poterit ipſos a cura ſuſpendere, ex declaratione Sacræ Concilii Congregationis *in una Placentina ſub die* 26. *Auguſti* 1628. apud Urſaya. Quod ſi talia imperitiæ indicia non ſupervenerint, tunc quidem non poterunt Parochi ab eodem Epiſcopo, a quo examinati, & approbati fuerint in concurſu, iterum vocari ad examen; at poterunt ab Epiſcopo ſucceſſore vocari abſque alio indicio & diffamatione ad novum examen, cui ſi renuant ſubjici, poterit Epiſcopus eos ſuſpendere, & coadjutorem deputare, ut probant Gonzalez, Garcia *de Ben.* Barboſa, Cardin. de Luca cum aliis ad ſaturitatem adductis a Rota *in deciſ.*257. *&* 258. *part.*19. *Recent.* Idque procedit tam intra ſacram viſitationem, quam extra, ex pluribus declarationibus Sacræ Concilii Congregationis apud Barboſam *Apoſtolic. dec. collect.*339. & apud Urſaya. Dixi demum, præmiſſo rigoroſo examine, & ſi approbatio fuerit illimitata; nam Regularis ad tempus limitatum approbatus, v.g. ad ſex menſes, ad annum &c. poteſt ad examen revocari ab Epiſcopo, ſicuti ſi approbatus eſſet præmiſſo examine non rigoroſo, quale eſt, ſi non fiat per omnes materias moralis ſcientiæ, ex Clericato *dec.*38. ubi obiter advertes, quod Vicarius Capitularis non poſſet, mortuo Epiſcopo, vocare ad examen Regulares illimitate approbatos ab Epiſcopo, ex Marchetto *in praxi Vic. Capit. part.*2. *tit.*17. poſſet tamen examini ſubjicere limitate approbatos, ſi tempus limitatum expiret Sede Epiſcopali vacante, ex Nicol. *in floſc. v. Vicar. Capit. n.*74.

41. Circa primum modum expreſſe approbandi, nempe per collationem Parochialis Beneficii, notandum eſt 1. quod habens Parochiale Beneficium dicitur ille, qui ratione hujus primario habet curam animarum reſpectu ſæcularium, ex Leſſio *caſ.*3. *num.*3. unde Epiſcopi etiam, & eorum Vicarii Generales in ſpiritualibus, imo & in Pontificalibus, cenſentur approbati per collationem Beneficii Parochialis, ex Gobato; non vero Abbates, Guardiani, Rectores &c. ii enim, etiamſi juriſdictionem habeant in ſuos Religioſos ſubditos,

ditos, tamen non eam habent respectu sæcularium, seu non habent curam animarum respectu sæcularium, ex Suarez *disp.*28. *sect.*28. ac de Lugo *disp.*21. *sect.*1. unde non sunt audiendi Henriquez *lib.*6. *cap.*6. Bannez, Valerus, Salas, aliique apud Dianam, & Vivam *de Jub. quæst.*9. censentes, Prælatos Religionum venire nomine habentis Beneficium Parochiale, & esse consequenter vi talis Prælaturæ approbatos. Notandum 2. quod in collatione Beneficii confertur talis approbatio, non autem in electione, seu præsentatione; quia electus, seu præsentatus, non dicitur Beneficium habere, quod Concilium requirit, sed habiturus, ex Castropalao *tract.*13. *disp. unic. punct.*17. ac propter eamdem rationem, quod Concilium requirat Beneficium Parochiale haberi, non sufficit, ut quis censeatur approbatus, illud habuisse, si jam illud dimisit, ex Suarez *loc.cit.* aliisque; siquidem in his, quæ pendent ex jure positivo, standum est verbis legis: quicumque vero de facto habet tale Beneficium, non solum censendus est approbatus respectu eorum sæcularium qui habitant in ejus Parochia, seu Beneficio Curato, sed etiam, saltem ex consuetudine universali, ubique scientibus, & approbantibus eam Episcopis, respectu totius diœcesis, in qua obtinet Beneficium Parochiale, ex Clericato, & ex communi: imo satis probabilem censemus sententiam Suarez *loc.cit.* opinantis, habentem Bene ficium Parochiale esse idoneum reputandum simpliciter, & pro quocumque loco, ita ut ubique sit proxime capax jurisdictionis, si aliunde conferatur vel ab eo, qui potest delegare, vel mediante privilegio eligendi Confessorem. Limites, dummodo non sit privilegium Bullæ Cruciatæ, vel privilegium concedi solitum in Jubilæis, aut hujusmodi: nam Bulla Innocentii XII. edita *die* 19. *Aprilis* 1700. quo ad privilegia Cruciatæ, & Bulla emanare solita in Jubilæis, exigunt omnino approbationem Ordinarii loci, in quo fit Confessio, dum in citata Bulla Innocentiana referuntur, & innovantur declarationes de eo quod nihil novi juris quo ad approbationem Confessariorum contra formam Concilii per talia privilegia inducatur, ut bene expendit Constantinus *in tract. de Ann. Sanct.* & licet tam Bulla Innocentiana, quam Bulla Jubilæi videantur non loqui de Parochis, circa quos Tridentinum nihil innovavit quo ad hoc, teste Suarez, sed videantur loqui de aliis, respectu quorum ex novo jure Tridentini requiritur approbatio per authenticum judicium Episcopi, tamen quia in hac re tutior opinio admittenda est, & quia nonnulli Auctores afferunt aliquas Congregationum declarationes in contrarium, de quibus juxta alios non satis constat, atque ipse Card. de Lugo *disp.*21. *sect.*1. & 2. Parochum indigere approbatione Ordinarii innuit, idcirco limitationem hanc apponendam sustinemus, censentes cum Illsung. *tract.*5. *disp.*6. *num.* 117. & aliis multis, quos allegant Salmanticenses *tract.*6. *cap.*11. non esse improbabile, quod Parochus hujus v. g. diœcesis non indigeat alia approbatione ad Confessionem sui subditi in aliena diœcesi; quia cum ratione muneris sit Pastor ejus, & Confessarius ordinarius, satis censetur pro illo ubique audiendo approbatus. Sicuti etiam Confessarii Principum, & Magnatum, qui respectu illorum sunt veluti Parochi, quando per varias diœceses illos comitantur, audiunt illos ubique

ubique sine approbatione singulorum Ordinariorum, ex la Croix *l.6. part.2. num.1516.*

42. Quilibet ex his duobus enumeratis modis habendi approbationem, nempe per Parochiale Beneficium, & per authenticum judicium sive tacitum, sive expressum Ordinarii, est sufficiens ad valorem Sacramenti: alteruter est omnino necessarius ex novo jure Tridentini *sess.23. cap.15.* ac de Fide certum est, potuisse a Concilio hoc decerni, ex Suarez *disp.28. sect.4.* ita vero necessarius est, ut extra casus suprapositos quilibet non habens Parochiale Beneficium, indigeat vera & reali approbatione Ordinarii loci, in quo est, ad valide audiendas Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, non autem Religiosorum, nisi sint Moniales, de quibus est speciale jus, ex communi. Dixi, quilibet non habens Parochiale Beneficium. Hinc Magistri, Doctores, Licentiati in Theologia, vel Jure Canonico, sive Regulares, sive sæculares, examini; & approbationi Ordinarii obtinendæ subjiciuntur ex Bulla S. Pii V. incipiente *Romani Pontificis*: decet tamen (ut notat Castropalaus), ne prædicti Magistri, & Doctores, aliique viri sapientes examini quo ad scientiam (si ea manifeste constet ita, ut aliis querelæ locus non sit), de facto subjiciantur, quamvis id fieri possit, sed ex communi hominum æstimatione judicentur: arg. text. Trident. *sess.7. cap.13. de reform.* quod etiam notarunt Miranda, Layman, & Fagundez apud ipsum. Dixi, vera, & reali approbatione. Hinc nulla est approbatio falso putata, nisi adsit titulus coloratus; v. g. quia fuit vere quis approbatus, at revocata fuit approbatio, ignorantibus plerisque hanc revocationem, ex Sanchez *l.3. de Matrim.disp.*11.item nulla est approbatio, quæ fuerit petita, atque injuste negata, etiamsi qui petierat, esset Regularis, qui proinde invalide exciperet Confessiones, nec per Confessionem illi factam satisfieret præcepto annuæ Confessionis, ex Decreto Alexandri VII. damnante propositionem 13. Dixi, Ordinarii loci in quo est; nam respectu Sacerdotis Regularis certum est ex Decreto Clementis X. eum non posse absque Episcopi diœcesani approbatione audire Confessionem, quamvis pœnitens subditus sit ejus Episcopi, a quo in alia diœcesi fuerat talis Regularis generaliter approbatus: respectu vero Sacerdotis sæcularis, quamvis controvertant Auctores, cujusnam Prælati approbatio exigatur, an videlicet Prælati loci, in quo excipiuntur Confessiones, an pœnitentis, an Confessarii? tamen probabilior, & verior sententia est, requiri approbationem Prælati, seu Ordinarii loci, in quo audiuntur Confessiones, uti determinate olim docuerunt Barbosa *de pot. Ep. alleg.25.* Card. de Lugo *disp.21.* Card. de Lauræa *disp.20. de Pœn.art.3.* aliique, confirmantes id ex praxi totius Orbis, de qua expresse testatur Clericatus *dec.36.de Pœn.* imo tanquam omnino certum id esse contendit Cardenas ex Constitutione citata Clementis X. quia decisum hoc cum fuerit respectu Regularium, infert ex paritate rationis, decisum etiam esse respectu sæcularium. Verum in positivis non valet illatio a pari, ut bene expendit la Croix hic: unde adhuc videtur probabilis sententia Platelii, aliorumque docentium, quod Sacerdos sæcularis approbatus, retinens domicilium in hac diœcesi;

cesi, si cum subdito hujus diœcesis peregrinetur, possit hunc in Confessione audire absque approbatione ejus Episcopi, per cujus diœcesim iter facit. Videatamen novissima Constitutio Benedicti XIV. *Apostolica indulta*, quæ est 100. *ejus Bull.t.1.p.*358..Dixi, ad valide audiendas Confessiones: unde approbatio non solum est necessaria de præcepto, sed etiam ex necessitate Sacramenti; quia licet ad valorem Sacramenti solum requiratur in Ministro potestas Ordinis, & jurisdictionis, tamen Ecclesia per verba Concilii Tridentini reddit incapacem jurisdictionis suscipiendæ, vel exercendæ illum, qui non præhabuit approbationem: atque idcirco, qui sine approbatione audit Confessiones, invalide illas audit, propter defectum jurisdictionis. Dixi, sæcularium, non autem Religiosorum; nam jus hoc novum Tridentini requirentis approbationem, habet locum respectu omnium sæcularium sine ulla exceptione; adeoque comprehendit omnes Clericos, etiam Sacerdotes, omnes laicos, etiam Principes & Reges, ex Suarez *disp.*28. Hinc non possunt Episcopi, aliique Prælati, habentes a jure facultatem eligendi Confessarium, eligere simplicem Sacerdotem non subditum extra propriam diœcesim, non approbatum ab Ordinario, ex oraculo Gregorii XIII. pronunciantis, quod in re dubia tutius est adhærere decreto Concilii Tridentini. Notanter dixi, non subditum extra propriam diœcesim; siquidem Episcopi, Vicarius Generalis, & Abbates exempti, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, possunt eligere simplicem Sacerdotem subditum extra diœcesim, aut non subditum in propria diœcesi, quia per hanc electionem illum approbant, ex Viva, aliisque communiter. Hinc etiam ab Alexandro VII. proscripta est opinio asserens *prop.*16. quod qui Beneficium curatum habet, possit sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario: imo tanquam omnino improbabilis rejicienda est sententia illa, quod possit Parochus simplicem Sacerdotem exponere ad audiendas Confessiones suarum ovium, ex Suarez *disp.*28. *sect.*4. quamquam cum eodem Suarez, Navarro, Viva, aliisque communius admittimus contra Clericatum, posse Parochum delegare vices suas, & exponere ad audiendas Confessiones suarum ovium vel alterum Parochum, vel Sacerdotem approbatum ab Episcopo loci, qui ab eo non acceperit jurisdictionem, dummodo Episcopus non repugnet; quia, ut dicemus, probabiliter potest Parochus delegare jurisdictionem Sacerdoti approbato.

43. At vero hoc jus novum Tridentini non habet locum respectu Confessionum Regularium; idest, noluit Concilium in hoc subjicere Regulares Episcopis quo ad Confessiones, quas ipsi faciunt inter se, seu de peccatis suis: unde Superior Regularis potest exponere suis subditis Confessorem non approbatum ab ullo Episcopo, ex Suarez: subditi autem talis Superioris sunt, in ordine ad hoc, non solum Religiosi immediate, vel mediate ei subjecti, sed etiam illi sæculares, qui in ejus monasteriis sunt vere de familia, & continui commensales, non autem illi qui tantum ipsis deserviunt, ex Constitutione Clementis X. *Superna*: quod adeo verum est, ut Confessarius Regularis approbatus ab Episcopo, non autem a Prælato Regulari, non possit audire Confessiones Religiosorum, atque eos valide absolvere, ex Suarez *tom.*4.*de Relig. tract.*9. Idem dicendum de Confessario sæculari, qui sine facultate Prælati

lati Regularis nequit Regulares audire, etiamsi fuerint Novitii, ut probant Suarez, & Bordonus *de Profes. Regular. cap.* 15. *quæst.* 18. acriter, nec improbabiliter contradicente Diana, qui putat, Novitios æque valide confiteri Sacerdoti etiam sæculari, ac si non essent Novitii. Posset tamen Sacerdos per Episcopum approbatus sine ulteriori Prælati Regularis facultate audire famulos illos, qui sunt in monasterio continui commensales, ex Clericato, aliisque. Porro ex eadem exceptione Regularium a jure novo Tridentini sequitur, quod si Religiosus habeat facultatem eligendi Confessorem a suo Prælato, possit eligere quemcumque voluerit, sive Regularem, sive sæcularem, etiamsi hic ab Episcopo approbatus non sit, ex Suarez *disp.* 18. *de Pœn.* Castropalao, & Bonacina: quod licet aliqui limitent, dicentes, hoc habere locum solum, quando Prælatus id expresse significaverit, aliqui vero cum Vasquez, & Clericato mordicus id negent, tamen prædicta Suarez opinio & communior ac tuta est, atque ab ipso sine limitatione ulla tradita; qui proinde monet illud dumtaxat in usu talis facultatis advertendum, ut eligatur Sacerdos ab Ecclesia toleratus, scilicet non suspensus, non excommunicatus &c. Dixi, si habeat facultatem eligendi a suo Prælato; nam, si habeat ex Bulla Jubilæi, aut alia hujusmodi, expendenda sunt privilegia, atque indulta quo ad hoc concessa aliquibus Religionibus: quibus privilegiis, nisi per Bullam Jubilæi, aut aliam similem derogetur in concessione talis facultatis, utique standum erit. Cæterum, ab his præscindendo, & loquendo jure communi, duplex est controversia: 1. an Religiosus vi Jubilæi possit eligere Sacerdotem non approbatum ab Ordinario loci: 2. an possit eligere approbatum quidem ab Ordinario loci, sed extraneum, & non approbatum a Prælato Regulari. In quarum prima licet Castropalaus cum Bonacina putet probabilem opinionem affirmativam, tamen cum Suarez, ac de Lugo, cæterisque communiter recentioribus sustinemus negativam. Vide supra memoratam Constitutionem Benedicti XIV. *loc. cit.* In secunda vero placet opinio affirmativa, per se loquendo, & nisi obstent privilegia Religionum, quibus probabiliter per Bullam Jubilæi extra Annum Sanctum derogatur, juxta Suarez, de Lugo, Filliuccium, Tamburinum, aliosque: non adeo tamen probabiliter derogatur per Bullam promulgari solitam in Anno Sancto, per quam Jubilæum Romanum extenditur ad Anachoretas, Moniales &c. ut bene expendit Constantinus *p.* 3. *c.* 5. Demum, ut presse rem totam ad Regularium Confessionem pertinentem complectar, sic assero. Nullus Sacerdos, etiamsi approbatus ab Ordinario loci, etiamsi ex Mendicantibus habentibus privilegium audiendi quoscumque Christifideles, nisi fuerit Pœnitentiarius D. Papæ, aut ab eodem speciali aliquo privilegio munitus, potest Regularium Confessionem audire sine facultate directa, vel indirecta, tacita, vel expressa Prælati Regularis. Quilibet autem Sacerdos non excommunicatus &c. etiamsi non approbatus ab Ordinario loci, potest Regularium Confessionem audire cum tali prædicta facultate: quæ quidem facultas relate ad Religiosos cum debita licentia itinerantes, aut commorantes ubi non est monasterium, sive domus proprii Ordinis, dummodo non in fraudem, aut occasionaliter existentes extra claustra, celebraturos in aliena Ecclesia, vel Ordines sacros recepturos in Episcopio, vel sacra Exercitia

citia

citia in solitaria & aliena domo peragentes, adest sive e x privilegio, sive ex consuetudine in quolibet idoneo Sacerdote, quando non sit socius Sacerdos ejusdem Ordinis, nec posita fuerit limitatio a Prælato; adest vero in Sacerdote socio ejusdem Ordinis, quando itinerantes illum habent, & quidem actualiter itinerans (non autem hospitans in domo proprii Ordinis), privative quo ad alios, eo uti debet Religiosus Societatis Jesu. Porro ita adest hæc facultas sive in quolibet Sacerdote, sive in Sacerdote ejusdem Ordinis socio itineris respective, ut non simul in eo adsit facultas absolvendi a reservatis directe, nisi Religiosus pœnitens fuerit e Societate Jesu; hic siquidem etiam a reservatis absolvi potest, cum onere tamen se præsentandi superiori pro accipienda iterata Absolutione, idemque externum sive Regularem, sive sæcularem Confessarium eligere non potest, non solum quando habet, ut dixi, socium itineris Sacerdotem Societatis, sed etiam quando occurrat alteri e Societate a Prælatis ejusdem Societatis approbato; quamvis cæteri Regulares communiter possint uti libertate confitendi cuilibet Sacerdoti, etiam casu, quo Religiosus itinerans incidat forte in Confessarium sui Ordinis. Spectanda vero sunt in his omnibus peculiaria statuta, & consuetudo cujuslibet Ordinis Religiosi; in pluribus enim Religiosis Ordinibus prohibetur confiteri alteri, quam Sacerdoti ejusdem Ordinis a superiore destinato, prout constat de PP. Carthusianis, ac de Cappuccinis, quos proinde Habsensis *in Summula v. Confessarius*, negat, etiam iter agentes posse absolvi per Confessarium non Capuccinum a mortalibus sive reservatis, sive non reservatis; quod an habeat locum, etiam quando necessitas urgeat celebrandi &c. ipsi viderint. Unde communiter interrogandi sunt Regulares de facultate data, & asserentibus (quæ quidem assertio, attenta qualitate personæ, non raro implicite habetur in ipsa petitione Confessionis) fides utique habenda est; ignorantibus an habeant saltem tacitam, præsertim pro reservatis, aut non impertienda Absolutio, aut impertienda cum onere se sistendi in monasterio habenti potestatem in reservata, si necessitas urgeat; & aliquod non reservatum, vel saltem veniale clavibus subjecerint.

44. Verum, ad PP. Capuccinos quod attinet, attendenda est Constitutio 49. Benedicti XIV. *Quod communi*, pluribus annis post primam hujus Memorialis impressionem edita, in qua statuitur §.2. *ut quilibet dicti Ordinis sive Sacerdos, sive Laicus, seu Conversus, qui de Superiorum suorum licentia, quacumque de legitima causa, titulo, & occasione, sive prædicandi verbum Dei quocumque tempore, sive sacras Missiones peragendi, sive iter agendi, & alicubi commorandi, ubi nullus Conventus, seu Hospitium, nullusque Frater dicti Ordinis Confessarius reperitur, libere & licite possit ac valeat quemlibet Presbyterum sæcularem ab Ordinario loci, vel Regularem a suo superiore Regulari ad sacramentales Confessiones excipiendas approbatum adire, eique peccata sua confiteri, atque ab ipso obtinere sacramentalem Absolutionem, etiam quo ad casus per constitutiones & statuta Regularia dicti Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, recepta salutari pœnitentia, præstitaque obligatione se statim, quoad ipsi permissum fuerit, coram suo Regulari superiore præsentandi,*

tandi, *ac de novo super casibus & censuris hujusmodi Absolutionem impetrandi*: uti videre est *tom.* 1. *ejus Bullarii pag.* 145.

45. Dixi tandem supra, nisi sint Moniales, de quibus est speciale jus; siquidem ad audiendas Confessiones Monialium, etiam earum, quæ sunt exemptæ, requiritur approbatio Episcopi, ex Constitutione Gregorii XV. *Inscrutabili*, sive Confessarius sit ordinarius, sive extraordinarius, *ex eadem*: cum hoc tamen discrimine, quod, ut audiantur Moniales non exemptæ, seu quæ subsunt gubernio Episcopi, requiritur & sufficit approbatio Episcopi; at vero, ut audiantur Moniales exemptæ, requiritur quidem approbatio Episcopi, ea tamen non sufficit, sed ulterius requiritur licentia superiorum Ordinis, in quo sunt illæ exemptæ; quia Pontifices non videntur per hæc nova decreta circa approbationem Confessarii Monialium derogasse Constitutionibus, aut privilegiis Religionum, vi quorum non possunt ejusmodi Regulares confiteri, nisi Confessariis a superiore designatis, ex la Croix *l.* 6. *p.* 2. *num.* 1532. Adde, quod ad superiorem Ordinis pertinet regulariter deputatio, & præsentatio Confessarii respectu Monialium, quæ sunt exemptæ, ex eadem Constitutione Gregorii XV. & quidem deputatus ab eo superiore ad triennium, non potest per Episcopum ad annum limitari, sed est ad triennium admittendus, vel absolute rejiciendus, ex rescripto Sac. Epis. & Reg. Congr. *die* 4. *Maji* 1696. apud Matthæuccium: Sacerdos vero approbandus in Confessarium Monialium tam ordinarium, quam extraordinarium, esse debet ætatis 40. annorum, ex Decreto Sacræ Congregationis apud Pitonium, & ex Felice Potestate, nisi forte necessitas aliud suadeat, aut præscripta consuetudo aliud permittat; quæ duo sunt maxime attendenda ad interpretationem legis præexistentis. Ordinarius autem Confessarius non potest esse neque Vicarius Generalis, neque generaliter Sacerdos Regularis pro Monialibus Episcopo subjectis, ex Decreto Sacræ Congregationis *in Sorana* 23. *Julii* 1587. *& in Pistoriensi* 16. *Maji* 1653. nec potest in eodem monasterio deputari, nisi ad triennium, ex Decreto Sacræ Congregationis apud Gavantum: quo elapso potest pro alio monasterio ordinarius deputari, & pro eodem extraordinarius, ex Felice Potestate. Confessarius extraordinarius, ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 10. *de Regularib.* bis, aut ter in anno Monialibus debet offerri, & hoc, etiamsi occasione alicujus Jubilæi fuerit alia vice concessus. Quamvis autem Moniales non teneantur singulæ extraordinario confiteri, ex præcepto tamen Sacræ Congregationis Episcoporum tenentur omnes coram extraordinario se præsentare; imo Clemens XI. 12. *Decembris* 1708. Decretum Cardinalis Vicarii id ipsum Urbis Monialibus præscribentis confirmavit: at non inde sequitur, quod recusantes extraordinario confiteri, possint per id tempus ordinario uti; quinimo, si per id tempus, quod extraordinario destinatur, [illegible]arius accedat vel ad Ecclesiam, vel ad monasterium illud, suspensionis pœnam incurrit, ex Decreto Sacræ Congregationis apud Matthæuccium *verb. Confess. Monial.* ubi advertimus, quod Confessarius extraordinarius tempore suæ deputationis indiget speciali licentia pro ingressu intra clausuram sive ad communicandum, sive ad infirmæ Confessionem excipiendam, sive ad assistendum mori-

moribundæ. Vide Constitutionem Benedicti XIV. *Pastoralis curæ*, super designatione Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus, quæ est 56. *ejus Bullarii tom.*2. Porro, ut quis dicatur, & sit approbatus pro Monialibus, non sufficit, quod sit approbatus generaliter ad omnes Christifideles, etiamsi Episcopus Moniales non exceperit, nec quod sit approbatus ad viros, & mulieres; sed necesse est, ut, quando petitur, vel datur approbatio, expressa fiat mentio de Monialibus, aut ex circumstantiis aperte intelligatur, quod mens Episcopi approbantis illum, etiam ad Moniales extendatur, ex la Croix: approbatus vero pro uno monasterio, aut pro una Moniali, aut pro una vice, non potest audire Confessiones, neque est approbatus respectu alterius monasterii, alterius Monialis, alterius vicis, ex Constitutione Clementis X. *Superna*, juxta quam toties Confessarius Monialium est approbandus, quoties casus deputationis contigerit. Hinc Moniales unius monasterii non possunt virtute Jubilæi eligere Confessarium non approbatum tunc specialiter pro illis, sed pro sæcularibus, aut pro Monialibus alterius monasterii, aut pro eodem monasterio alia vice olim approbatum, ex la Croix, Viva, Felice Potestate, Constantino *p.*3. *cap.*5. aliisque communiter recentioribus, contra Bonacinam, Peyrinum, Bossium, Vasquez, & Summam Dianæ v. *Jubilæum num.*20. affirmantes ex ratione, & ex Constitutione 17. Urbani VIII. *Pontificia sollicitudo*, id a Monialibus fieri posse. Quocirca, stante nostra assertione, Episcopi, & alii Monialium Ordinarii, tempore Jubilæi, debent pro eis approbare plures sive sæculares, sive Regulares, quos aptos judicaverint, quosque Moniales ipsæ exoptaverint, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum 24.*Martii* 1643. apud Lantuscam, ut eos Moniales eligere valeant.

46. His circa approbationem recensitis, superest, ut tria hæc expendamus: 1. an possit approbatio petenti ab Episcopo denegari: 2. an possit limitate concedi: 3. an semel concessa possit revocari. Et primo quidem certum est, non posse Episcopum approbationem denegare Sacerdoti sæculari, vel Regulari, in casu quo illum ad examen admiserit, eumque in eodem idoneum repererit quo ad doctrinam, nec aliunde quidquam cognoverit in eo deficere sive quo ad mores, sive quo ad aliud pertinens ad rite obeundum Confessarii munus, ex Castropalao: quippe, examine posito, ex officio obligatur Episcopus juxta merita causæ judicare. Quamobrem solum est difficultas, an possit Episcopus approbationem negare, nulla facta ad examen admissione, ex eo v. g. quod in ea diœcesi plures, ac forte doctiores sint Confessarii? In qua quidem controversia procedimus cum distinctione, ac tanquam indubitatum asserimus, non posse Episcopum Sacerdoti Regulari a suo Prælato præsentato admissionem ad examen negare, eidemque idoneo approbationem non concedere, ita ut graviter ipse peccaret aliter faciendo: Sacerdoti vero sæculari quamvis nonnulli affirment id posse ab Episcopo negari, tamen ii videntur loqui de approbatione complectente simul jurisdictionem: cæterum loquendo de sola & formali approbatione, atque admissione ad examen, probabile censemus, non posse ab Episcopo id negari serio expostulanti,

lanti, sed illum necessario examinandum esse, si ei placuerit, & idoneo reperto approbationem concedendam; quia Sacerdos sæcularis, ut bene expendit Castropalaus, habet jus se taliter disponendi, ut ei merito jurisdictio ad excipiendas Confessiones committi possit. Verum tamen est, quod Sacerdoti sæculari pro suo libito potest Episcopus vel negare, vel concedere jurisdictionem; siquidem elargitio jurisdictionis est mera gratia, ut infra dicam. Sacerdos autem Regularis jurisdictionem habet vel immediate, vel mediate a Papa, ut supra diximus. Uterque tamen invalide absolveret approbatione petita, & injuste negata, ut pariter supra innuimus.

47. Deinde approbatio concedi potest Sacerdoti tum sæculari, tum Regulari, cum limitatione personarum, locorum, ac temporis, ex justa causa. Ita ex communi apud Card. de Lugo *disp.* 21. *de Pæn. sect.* 3. §. 1. Dixi, ex justa causa; nam sine ea, ut advertit citatus Cardinalis, non videntur licite apponi posse ejusmodi limitationes. Justa autem causa multiplex est; nam potest esse quis idoneus ad audiendos viros, & non fœminas, propter minorem gravitatem, aut propter juvenilem aspectum, aut propter aliquam suspicionem de ipso conceptam: item potest esse quis aptus ad Confessiones in uno oppido, non autem in una urbe, ubi v. g. viget mercatura, & difficiliores casus occurrunt; siquidem pro diversitate locorum, ac personarum, major, vel minor scientia in Confessario requiritur: imo casus potest contingere, ut, stante necessitate populi, & carentia aliorum Sacerdotum, sit in aliquo oppido censendus doctus & idoneus, qui alibi ut indoctus & ineptus esset repellendus, ex Castropalao *disp. unic. p.* 16. & quia potest esse persona de qua prudenter timeatur, ne, semel obtenta simpliciter approbatione, amplius studio vacet necessario ad hoc sanctum ministerium, ac consequenter redeat ad pristinam ignorantiam, idcirco juste aliquibus etiam idoneis ad certum tempus limitatur approbatio. Quando autem sit de facto justa causa apponendi has, vel illas limitationes, arbitrio & conscientiæ Episcopi relinquitur, qui sive juste, sive injuste eas apponat, semper facit, ut Sacerdos revera non sit approbatus pro tali tempore, pro tali loco, pro talibus personis respective; adeoque ex limitationes omnino servandæ sunt ad validitatem Sacramenti, ex de Lugo *loc. cit.* Advertendum tamen, hactenus traditam doctrinam de facto habere locum respectu Sacerdotis tum sæcularis, tum Regularis; spectato tamen juris rigore, temperandam ex parte esse respectu Regularis, siquidem ex Constitutione Clementis X. *Superna* ille Sacerdos Regularis, qui *ad Confessiones audiendas idoneus generaliter repertus fuerit ab Episcopo, generaliter quoque & indistincte, absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in diœcesi propria est admittendus*: unde de rigore juris possunt hujusmodi Regulares Sacerdotes prætendere licentiam absolutam, & indefinitam audiendi Confessiones sæcularium: in praxi tamen, ut inquit Clericatus *dec.* 33. *vel cedunt juri suo*, vel in facto contenti sunt eam recipere ad annum, ne rigoroso examini subjiciantur, ut idem Clericatus docet.

48. Postremo approbatio vel fuit concessa absolute & indistincte, vel limitate

mitate ad certum tempus. Si limitate ad certum tempus, ea cessat finito eo tempore; quia nequit extendi ultra voluntatem concedentis, ex Castropalao & communi. Si vero fuit concessa absolute, ea taliter perseverat, ut non cesset per mortem concedentis; siquidem declaratio juridica suam vim retinet, quamdiu non revocatur, ex Suarez, Filliuccio, aliisque. At cessat, seu cessare potest, tum ex parte ipsius Sacerdotis approbati, tum ex parte Episcopi approbantis. Ex parte Sacerdotis approbati cessat, quando ipse diœcesim mutat, ex Suarez: cum hoc tamen stat, quod si ille postmodum redeat ad diœcesim, in qua prius approbatus fuerat, non indigeat nova approbatione; nam quamvis prior approbatio, absolute concessa, extincta fuerit pro tempore, quo ille a diœcesi abfuerit, eadem tamen redit ad ipsum, cum ipse ad diœcesim redit, ex Castropalao, & Card. de Lugo *disp.*21. *num.*44. apud la Croix id ipsum sentientem *num.*1541. atque hinc etiam patet falsitas ejus assertionis, qua olim nonnulli contendebant, semel in una diœcesi simpliciter approbatum, semper, & ubique esse approbatum. Cessat ex parte Episcopi, quando ipse datam approbationem revocat; potest enim tum ipse Episcopus concedens, tum ejus successor, ex justa causa, licite & valide approbationem revocare; atque in dubio justæ causæ præsumendum est pro Prælato, qui multa novit, quæ latent subditos, ex de Lugo *disp.*21. *sect.*3. An vero sine causa Episcopus id possit, operosum est distincte exponere. Unde breviter sic dicimus. 1. Quod sine causa Episcopus illicite quidem, attamen valide revocat approbationem datam ad beneplacitum. 2. Quod pariter illicite revocat sine causa approbationem datam absolute: sicuti etiam illicite revocat sine causa ante tempus præfixum approbationem datam limitate ad certum tempus. 3. Quod si de facto illicite hoc fiat ab Episcopo, esset res dubia, & timenda, in tali casu Sacramentum ministrare; quia rationes pro nullitate talis revocationis, quamvis munitæ auctoritate Card. de Lugo *loc. cit. num.*64. non sunt evidentes. Certum autem est, quod sicuti non intelligitur valide revocata approbatio, nisi revocatio constet authentice vel per nuncium ad id destinatum, vel per edictum &c. ita Sacerdos debet esse moraliter certus de sua approbatione, ita ut illi constet de licentia audiendi Confessiones vel immediate per Episcopi, seu Vicarii loquelam, vel per nuncium ex Episcopi mandato id testificante &c. ut fuse docent Sanchez *lib.*3. *de Matr. disp.*36. in simili, & in præsenti Tamburinus *cap.*5. *num.*41.

49. Hactenus de revocatione dicta temperanda sunt, seu intelligenda respectu Regularium, juxta tenorem Constitutionis Clementis X. *Superna*, ubi decernitur I. Regulares ad hujusmodi Confessiones audiendas, prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem, si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis) approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat, de qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet &c. II. vitæ integritatem, ac morum honestatem esse causam Confessionis ministerium concernentem, ac proinde

proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a Confessionibus audiendis: III. Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Hactenus citata Constitutio. Expediens tamen, & honestissimum censemus, ut Regulares quicumque, si revocentur ad examen, se promptos & faciles exhibeant Prælatorum intentioni; non solum quia, uti expendit la Croix *num.* 1545. frustra se opponent, siquidem Episcopus facile prætendet causam, quæ præsumi debebit esse justa; sed etiam quia, ut bene monet Card. de Lugo *loc. cit. num.* 67. cujus ipsissima verba exhibeo, *alioquin suspicionem dabimus æmulis nostris, quod non tam ob zelum tuendi nostra privilegia, quam ob alias causas obedientiam Prælatis adhibere nolimus.*

§. IV.

De jurisdictione.

50. PRæter carentiam censurarum, & approbationem, requiritur in Sacerdote ad valide ministrandum hoc Sacramentum Pœnitentiæ jurisdictio, ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. ajente: *Quoniam natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse, Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Hæc autem cum sit dicta a jure dicendo, describitur a Molina, & Layman generaliter sic: *Facultas alicujus habentis publicam auctoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem*: in re autem nostra a Tamburino, aliisque exponitur sic: *Potestas data alicui Sacerdoti, per quam tanquam in suos subditos possit ipse educere in actum eam potestatem absolvendi a culpis, & pœnitentias injungendi, quam habet in Ordine Sacerdotii.* Unde constat, quod, quando Episcopus dicit Sacerdoti, *approbo te*, perinde est, ac si dicat, *declaro te esse idoneum excipiendis Confessionibus illorum, qui aliquando tibi legitime subjicientur in foro sacramentali*: at quando dicit, *do tibi jurisdictionem in hos, aut illos*, perinde est, ac si dicat, *impertior tibi jus audiendi, & judicandi in foro sacramentali hos, aut illos*, seu *subjicio tibi tanquam arcano judici hos, aut illos, in ordine ad hoc, vel illud.*

51. Dividitur jurisdictio in ordinariam, & delegatam. Ordinaria est, quæ alicui competit ex vi proprii officii, dignitatis, seu præeminentiæ, quàm habet super alios; & sic ordinariam jurisdictionem obtinet a Christo Summus Pontifex respectu omnium Fidelium, eo ipso quod in Pontificem legitime eligitur, ideoque Ecclesia nec limitare, nec restringere ejus jurisdictionem potest. Ordinariam pariter jurisdictionem accipiunt Episcopi, Parochi, Abbates, & Prælati Regulares respective a Pontifice, ratione Episcopatus, Beneficii Parochialis, Prælaturæ Religiosæ &c. Delegata est, quæ habetur, non ex munere pro-

proprio, aut dignitate, sed præcise ex alterius sive juris, sive hominis commissione; & sic delegatam habent plures Cappellani, ac Religiosi, ex privilegio Apostolico excipientes sæcularium Confessiones. Potest autem utraque jurisdictio esse in personam, sed non in omnia ejus peccata, propter reservationem. Hinc ab ordinaria jurisdictione Episcopi casus aliquos Pontifex excludit, ac sibi reservat, & ab ordinaria Parochi Episcopus sibi reservat peccata quædam absolvenda, sicuti a delegata aliorum, etiam Regularium, quibus non est a Pontifice concessa jurisdictio in ea, quæ sibi Episcopi reservant, nisi Episcopus det facultatem, ex Suarez *disp.30. sect.2. num.16.* imo ab Alexandro VII. proscripta est hæc thesis *num.12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Quo ad hanc vero casuum reservationem, quidquid sit de jure, de facto non reservari solent, nisi certo mortalia ratione sui, & non per solam relationem ad actum internum: imo, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, nec extendenda ad casum dubium, ex Suarez, de Lugo *disp.20.* & la Croix. Et quamvis olim Clemens VIII. vetuerit, ne simplex Confessarius absolvêret a delictis in Bulla Cœnæ contentis etiam in casu dubio, tamen, cum in decreto moderatorio ejusdem Pontificis id non exprimatur, sequitur, ut notat Viva *in prop.3. Alexandri VII.* reservationem in tali casu dubio non incurri: unde in omni proprietate verba delicti reservati accipi debent, nec peccata reservata censenda sunt, quoadusque, juxta Constitutionis tenorem, completa & perfecta non fuerint, ex Sylvestro *v. Casus quæst.5.* & ex Castropalao *tract.33. punct.15.* Superior autem reservans, regulariter tenetur sub gravi, subdito vel per se, vel per Confessarium facultatem petenti, ut alteri confiteri possit, eam concedere, ex Soto, Suarez, Layman, aliisque apud Castropalaum *loc. cit. num.4.* Dixi, regulariter; nam aliquando in aliquibus circumstantiis a Castropalao *loc.cit.* enumeratis, posse hanc facultatem negari, affirmant Suarez, Layman, aliique ab ipsis citati. Hæc vero facultas non censetur concessa, quando Episcopus dicit, *do tibi facultatem absolvendi ab omnibus peccatis, vel committo tibi totam meam potestatem,* nisi mens ejus aliunde constet; sed debet fieri de reservatis specialis mentio, sicuti & de censuris reservatis, ex Navarro, & Dicastillo apud la Croix *num.1630.* quamvis oppositum, fortasse non improbabiliter, doceat Mendo *in Epitom.v.Casus reserv.* Illud quidem ex Suarez *disp.30.sect.1.* & communi admittimus, quod si ab Episcopo petatur facultas ad absolvendum ab uno reservato, & ille concedat, atque addat, *& concedo tibi omnes vices meas,* facultas præbetur absolvendi ab aliis reservatis. Porro Confessarius simplex licet non obligetur regulariter, imo plerumque sanum consilium sit, ne sumat onus pœnitentis adeundi superiorem, ut impetret facultatem absolvendi dictum pœnitentem a peccato reservato, sicuti recte expendit Tamburinus *in method. Confess. l.3. cap.9. §.4.* tamen, siquando id faciat ex charitate, quæ in gravissimo, & in raro casu potest illum obligare sub gravi, tunc reticere debet & casum, & personam, ex Busembaum *lib.6.tr.4.c.2.dub.4.* Nec opinioni censentium, posse manifestari casum, suffragatur finis reservationis, quem ajunt esse, ut Pastores habentes noti-

tiam peccatorum, possint melius prodesse omnibus subditis, & providere de opportuno remedio. Nam I.non ideo fit reservatio, ut ex notitia habita sive directe, sive indirecte ex Confessionibus, Pastores possint dioecesis bono consulere, ut notant Theologi apud Castropalaum, sed ut poenitens ex difficultate remedii magis arceatur a peccatis, eorumque gravitatem agnoscat; deinde ut graviora quaedam, & atrociora crimina, non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus, utpote doctioribus, & prudentioribus, judicentur, & absolvantur. II.Non leviter apud nonnullos redderetur odiosa Confessio, si hi scirent, Pastores notitia ex ea habita velle uti ad dioecesis gubernationem, & politiam, quae fortasse in aliquod ipsorum gravamen cedet. Quantum autem id cavendum sit, nemo non videt; atque idcirco S. Leo I. in sua epistola ad Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum, damnat consuetudinem, quae per eas regiones irrepserat, publicandi poenitentium (quorum nomini, ut opinor, parcebatur) occulta delicta ad aliorum terrorem: damnat, inquam, *ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta referare, quibus possint legum constitutione percelli*: ubi notentur ea verba: *metuunt iis referare, quibus possint legum constitutione percelli*. III.Demum quia S.Thomas *in 4. dist.17. q.3. quaestiunc.4. ad 6.* expresse asserit, Superiores, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injicere, & per consequens sibi ipsis. Hoc autem, apertum est, habere locum, tum si velint scire immediate, tum mediate per varias interrogationes factas postulantibus facultatem absolvendi a reservato.

52. Acquiritur jurisdictio I.a jure tum scripto, qualiter obtinent in primis omnes ordinarii Pastores, tum consuetudinario, accedente nimirum simul tacito consensu Superioris: in tantum enim dicitur consuetudo dare jurisdictionem, in quantum est signum evidens, quod ea commissa sit a superiore vidente ac potente impedire, nec contradicente: hinc Parochi, aliique Confessarii, praesertim Regulares, absolvunt peregrinos, & vagabundos existentes, vel peregrinantes per ea loca, & territorium, ubi ipsi sunt approbati, & expositi Confessarii. II.ab homine per delegationem alicujus ordinarii Pastoris, idque sive explicite & directe, sive implicite & indirecte: & quidem indirecte datur jurisdictio ab homine, quando quis alioquin approbatus, sed non habens jurisdictionem in hunc poenitentem, eligitur in Confessarium ab hoc poenitente, utpote habente facultatem confitendi cuivis approbato, ex Gobato, aliisque. III. ex errore communi, non autem privato unius, vel alterius, praesertim accedente titulo colorato; in tali enim casu Ecclesia tribuit actualem jurisdictionem pro singulis Confessionibus respectu veri Sacerdotis, ut prospiciatur saluti animarum inculpabili errore laborantium, ex communi: tunc autem adest talis error communis, quando in loco, in quo quis excipit Confessiones, omnes, aut plerique existimant, eum esse vere habitualiter praeditum jurisdictione, cum tamen careat tali habituali potestate.

53. Jurisdictio delegata potest duplici modo delegari: 1. absolute sine ulla

ulla limitatione: 2. cum aliqua limitatione. Hæc vero limitatio solet esse in hac triplici differentia: 1. ut concedatur duratura usque ad beneplacitum Episcopi, vel Sedis Apostolicæ &c. 2. ut concedatur ad absolvendum aliquas determinatas personas in favorem illarum: 3. ut concedatur duratura usque ad aliquod determinatum tempus. His positis, jurisdictio concessa absolute, & sine limitatione, non expirat per mortem concedentis, vel ejus amotionem ab officio; quia gratia facta non expirat per mortem concedentis, ex Sanchez *l.8. de Matr. disp.*28. aliisque communiter: concessa ad beneplacitum Episcopi, vel Sedis Apostolicæ, non expirat per mortem concedentis, quia dignitas Episcopalis, & Sedes Apostolica semper manet, unde semper permanet ejus beneplacitum, donec aliud significetur: item concessa cum hac limitatione, *donec revocavero*, non expirat; quia est concessa, donec ponatur conditio revocationis, quæ utique non ponitur per mortem concedentis: at vero concessa cum hac clausula, *ad meum beneplacitum*, expirat per mortem concedentis, vel ejus amotionem ab officio, juxta probabiliorem sententiam Sanchezii, Suarezii, & Castropalai; quia talis jurisdictio, ad hoc ut duret, requirit beneplacitum concedentis, quod non adest post ejus mortem, & quamvis adsit post ejus amotionem, tunc tamen non est legitimum: concessa cum limitatione ad aliquas determinatas personas, & in favorem illarum, expirat per mortem concedentis, re integra; quia in tali casu non est gratia facta, sed facienda, gratia autem facienda expirat per mortem concedentis, re integra, ut firmat Sanchez *l.8. de Matr. disp.*28. demum concessa cum limitatione ad certum tempus, v.g. ad annum, non expirat morte concedentis, si annus non fuerit elapsus, &, nisi a successore revocetur, durat toto eo anno, quia toto eo anno habitualiter perseverat voluntas concedentis, ex Castropalao, & communi. Ubi notamus cum communi Doctorum apud Felicem Potestatem, quod valet Absolutio data ab approbato, & habente jurisdictionem ad annum, etiam eo anno elapso, si tamen id communiter ignoretur, quamvis, per se loquendo, Confessarius graviter peccaret absolvendo: an vero a tali peccato excusaretur, ex eo quod ipse tunc temporis licentiam confirmandam apud Curiam Episcopalem transmiserit, & moraliter certus sit de confirmatione? res mihi est valde dubia; tum quia praxis Curiæ Romanæ, a nonnullis prætensa pro parte affirmativa, cum fuerit a me sedulo per viros doctos investigata, nunquam liquido constitit; tum quia affirmatio videtur tota fundari in præsumptione jurisdictionis, seu licentiæ: de hac autem præsumptione sic asserimus.

54. Non sufficit jurisdictio præsumpta hoc sensu, quod daretur, si peteretur, quia per hoc non est data jurisdictio, sed danda. Sufficit autem, si hoc sensu sit præsumpta, quod adsint sufficientia signa, quod sit concessa: hæc autem signa, non solum debent esse externa, quia voluntas interna, non manifestata exterius, est impotens ad dandam jurisdictionem, ut tradunt passim Doctores in materia tum Confessionis, tum Indulgentiarum, sed etiam debent esse talia, ut non relinquant rem dubiam, ex Suarez *disp.26. sect.1. num.16.* quia sic non satis manifestant voluntatem superioris: atque hinc etiam

P 2 sit,

fit, quod omnes fere Theologi negent, valere Absolutionem sub ratihabitione jurisdictionis, sive ratihabitio sit de futuro, ut v.g. contingeret, si quis audiret Confessiones sciens, quod superior, ubi hoc intellexerit, dicet, se esse contentum; sive ratihabitio sit de præsenti (quæ dictio, ex Suarez, involvit repugnantiam in terminis proprie sumptis), ut v.g.contingeret, si quis audiret Confessiones, putans per conjecturas meras, aut merum probabile ratiocinium, quod superior de præsenti consentiat, & ratio hujus est; quia ex communissimo sensu Theologorum, tacita licentia pro administratione valida Sacramentorum pendentium a jurisdictione, vel quasi jurisdictione, nihil valet, nisi signo externo demonstretur: non negamus tamen, signum externum esse aliquando ipsam taciturnitatem, quando nempe res est notoria, & superior, cum possit, non se opponit, ex Suarez *loc. cit.* Gobato *tract.* 7. *cas.*3. aliisque.

55. Cum autem fieri possit, ut hujusmodi signa præcesserint quidem, sed propter aliquas supervenientes circumstantias, aut eorumdem conditiones, dubius quis sit de sua jurisdictione, nos dicimus cum Suarez, Card. de Lugo, aliisque communiter, quod vel tale dubium est merum negativum, vel est positivum, seu tale, ut probabile sit, non autem certum, dari jurisdictionem. Et quidem, si sit merum negativum, non poterit Sacerdos sub tali dubia jurisdictione ministrare hoc Sacramentum, nisi in casu necessitatis, quando aliud remedium magis securum exhiberi non poterit: quo casu Absolutio danda erit sub conditione, & ex Suarez, ac Castropalao *hic*, monendus erit pœnitens de obligatione quam habet confitendi iterum ea peccata Sacerdoti, qui habeat jurisdictionem certam. Si vero tale dubium sit positivum, ita ut adsit judicium probabile de jurisdictione, tunc etiam non poterit Sacerdos ministrare extra casum necessitatis hoc Sacramentum sub tali jurisdictione probabili, quousque illa persistat intra fines meræ probabilitatis, ex la Croix, & Cardenas *disp.*2. *num.*137. poterit autem, quando tali jurisdictioni accedat certitudo ex principio aliquo extrinseco: hæc vero certitudo semper accedit ex consuetudine universali, qua stante, Ecclesia supplet jurisdictionem, si ea forte desit, quando opinio de jurisdictione est vere ac solide probabilis, non autem quando est tenuiter probabilis, ex Sanchez *in Dec.l.*1. *cap.*9. Bonacina *de Pœnit. quæst.*7. *punct.*5. §.4. Cardenas *loc. cit. num.*160. aliisque tum veteribus, tum recentioribus, qui bene notant, Sacerdotem non prohiberi ab administratione Sacramenti sub tali jurisdictione, ex decreto Innocentii XI. damnante primam propositionem: *Non est illicitum &c.* quia talis Sacerdos non ministraret sub opinione probabili, sed sub certa, certo nimirum supplente jurisdictionem Ecclesia, si ea forte desit.

56. Ad extremum notamus, quod omnes illi, qui possunt approbare, possunt etiam delegare jurisdictionem. Approbare autem possunt Papa pro toto Orbe; Nuncius Apostolicus pro sua provincia, quamvis contradicat Pignatellus *tom.*2. *consult.*1. adducens varias declarationes, quæ an authenticæ sint, scient Domini Nuncii; Episcopus pro sua diœcesi, etiamsi non consecratus, sed dumtaxat electus, & confirmatus, ac subditos habens; Vicarius Ge-

Generalis Episcopi, quia personam Episcopi repræsentat; item Capitulum Sede Episcopali vacante; præterea Abbates, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, quia nomine Episcopi, in iis, quæ ad jurisdictionem pertinent, subintelliguntur. Excipias tamen Prælatos Regularium quo ad approbationem pro sæcularibus; ex omnium enim sententia, declarata a S. Pio V. in Constitutione *Romani Pontificis*, apud Barbosam, non sunt quo ad hunc actum Ordinarii, nec sub nomine Episcopi intelliguntur: sicuti etiam excipiendi sunt Parochi; certum siquidem est, non posse Parochum approbationem dare ulli Sacerdoti. Utrum vero possit ille Sacerdoti ab Episcopo approbato, sed non habenti jurisdictionem, delegare suam pro suis parochianis, res est valde controversa, in qua probabile censemus, quod possit, ex Suarez *dist.26.de Sacr.sec.*1.Navarro *in Can.Placuit,de Pœn.dist.6.* aliisque contra Clericatum *dec.37.de Pœn.* pluribus contendentem, Parochum non habere ordinariam jurisdictionem.

§. V.

De requisitis ad licite ministrandum hoc Sacramentum.

57. Sacerdos prædictis requisitis instructus, ad valide ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, alia quædam habere debet ad licitam ejusdem administrationem: quorum 1. est probitas: 2. scientia: 3. carentia aliquarum censurarum: 4. carentia prohibitionis factæ a legitimo superiore. Et quidem in primis in eo requiritur probitas;nam,ut bene ait Clemens X. in sua Constitutione *Superna*, præcipua ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas est vitæ integritas, ac morum honestas: unde, ut Sacramentum debite ministret, existimare debet prudenter, se non esse in peccato mortali; alioquin mortaliter peccaret ministrando, nisi forte excusaretur ob subitam necessitatem, sicuti advertit Castropalaus *tract.*18. *de Sacr. in gen. punct.*5. Quando autem debeat ita existimare, seu quando debeat esse in gratia, an videlicet toto tempore, quo audit Confessionem, an solum quando profert formam Absolutionis, variant Doctores, asserentibus aliis cum Suarez *disp.28.sect.*1. *num.*3. debere Sacerdotem ad totum illud ministerium accedere in statu gratiæ; aliis cum de Lugo *disp.22.sect.*4.putantibus sufficere, quod ille sit in gratia, antequam absolvat, & perficiat Sacramentum. Suarezii opinio ut securior, ita rationi conformior nobis videtur. Status autem gratiæ non est necessario ab illo procurandus per Confessionem sui peccati in ordine ad tale ministerium, sed vel per Confessionem peccati, vel per dolorem perfectum, seu Contritionem, ex communi apud de Lugo *loc.cit.*Quod si existens in statu peccati mortalis plures Confessiones audiat continuatim, una quasi vice morali, non improbabiliter unum numero peccatum committeret, ex Card. de Lugo *disp.*16. *sect.*14. §.2. quamvis securius doceat Bonacina, aliique, tot ab eo peccata numero distincta committi, quot Confessiones audiuntur.

58. Requiritur secundo ad licitam administrationem scientia aliqua; quia nullus potest licite judicium exercere in aliqua causa gravi, nisi habeat scientiam proportionatam ad ferendum æquum judicium, siquidem alias exponit se

se evidenti periculo errandi, ex communi apud Suarez: non eadem tamen scientia requiritur in omnibus; multo enim major scientia requiritur in uno loco, quam in alio, & respectu unius personæ, quam alterius: unde minor scientia requiritur in eo, qui expositus est ad audiendos solos rusticos, quam qui expositus est ad audiendos omnes, ex Navarro, Suarez, ac de Lugo; sicuti ex eodem de Lugo, contra Navarrum de hoc dubitantem, multo minor requiritur pro audiendis viris doctis, a quibus Confessarius possit instrui, quam pro audiendis indoctis. Communiter in quolibet Confessario talis ac tanta requiritur scientia, ut 1. sciat discernere peccatum, & an veniale sit, vel mortale, non quidem speculative differentiam eorum cognoscendo, sed practice, & quantum ad an est, ex Cajetano, aliisque: 2. ut sciat, quæ sunt de substantia hujus Sacramenti (quod exposuimus in alia parte), & simul quæ sint necessaria, ad hoc ut pœnitens sit dignus Absolutione: 3. quænam peccata habeant annexam censuram, ac reservationem: 4. quænam habeant annexum onus restitutionis, vel denunciationis: 5. quæ circumstantiæ vel aggravent peccatum, vel novam malitiæ speciem superaddant: 6. quæ circumstantiæ ex mortali veniale, & vicissim ex veniali mortale efficiant: 7. quomodo possit cognosci distinctio numerica peccatorum &c. Non ita tamen exacta horum omnium scientia requiritur, ut Confessarius de omnibus, quæ pœnitens dicit, possit discernere, an sint mortale, aut veniale; sæpe enim id nec doctissimi possunt, ex Suarez, ac de Lugo, aliisque: sed sufficit mediocris, ac talis, ut intelligat ea, quæ frequentius accidunt, & de aliis dubitare sciat, ac proprio studio, vel labore, aliorumque consilio dubium vincere, ex Castropalao, aliisque; ubi advertimus cum la Croix *n.*1790. quod Confessarius, quantumvis doctus, minus prudenter ageret resolvendo statim implicatos casus, præsertim quæ Matrimonii impedimenta, simoniam, vel restitutionem concernunt, sed expediret, ut tempus considerandi a pœnitente exposceret. Hoc autem multo magis præ oculis habendum a Confessariis non adeo doctis, qui eo confidentius aliquando absolvunt, ac dispensant, quo minus ob imperitiam dubitare norunt: non inde tamen fit, quod necessario pœnitens esset in tali casu inabsolutus dimittendus; posset enim is absolvi, si ipse se facturum promittat, quod deinde Confessarius ex proprio studio, vel aliorum consilio judicaverit ab eo præstandum esse, ex Suarez *disp.*28. *sect.*2. & Bonacina *disp.*5. *de Pœn. quæst.*7. *punct.*5. §.2.

59. Cæterum, qui, extra casum necessitatis, sine prædicta scientia huic muneri se ingereret, graviter peccaret; quia intrinsece malum est suscipere aliquod justitiæ munus sine sufficienti scientia ad illud juste ministrandum, ex communi apud Suarez: neque ab hoc peccato excusat approbatio habita a superiore; quia approbatio præsupponit quidem scientiam, at eam non confert; ac proinde, qui manifeste cognoscit, se ea carere, non est securus in conscientia administrando hoc Sacramentum. Dixi, qui manifeste cognoscit; nam qui dubitat, vel scrupulis angitur circa scientiam requisitam, consulat superiorem, vel virum doctum, & ejus dictis acquiescat, ex Suarez, Vasquez, Bonacina, Layman apud Castropalaum *hic*, & apud la Croix

num.

*num.*1788. Illud vero pro indubitato esse censemus, quamvis superior, seu Prælatus excusetur aliquando a peccato ob penuriam virorum doctorum, & necessitatem diœcesis in approbando, seu deputando ad Confessiones virum non satis doctum, debet tamen iste talis sic deputatus moneri de sua ineptitudine, teneturque ipse dare operam, ut proprio studio, vel aliorum consilio, se muneri exercendo aptum reddat, ex de Lugo, aliisque.

60. Hactenus diximus, scientiam requiri ad licitam administrationem; quia scientia, per se loquendo, non requiritur ad valorem, seu substantiam Sacramenti; siquidem absque illa potest stare materia, forma, & minister habens jurisdictionem cum debita intentione, ex communi apud Suarez, & Castropalaum, quamvis in aliquo sensu, & per accidens, scientia requiratur ad valorem. Hinc pœnitens confitens bona fide Sacerdoti existimanti venialia esse, quæ sunt mortalia, non tenetur, ubi id animadverterit, Confessionem repetere, ex Suarez *disp.*28. *sect.*2. tenetur tamen pœnitens, si doctus sit, & aperte cognoscat, Confessarium peccati gravitatem non percipere, illum instruere, quia tenetur facere, quantum in se est, ut Confessarius juste ferat judicium in causa gravi, ex Castropalao *hic*. Per accidens autem scientia pertinere potest ad valorem; nam si ejus carentia tanta sit, ut Confessarius nesciat formam Absolutionis, neque eam proferre possit, vel nesciat cognoscere peccata, neque sub ratione confusa peccati, utique invalidum erit Sacramentum: quia talis homo sic imperitus non potest humano modo exercere hoc ministerium: unde talis ignorantia, ut bene advertit Suarez, potius dicenda esset impotentia quædam ministrandi hoc Sacramentum, quam ignorantia officiens ejus valori.

61. Requiritur 3. ad licitam administrationem carentia aliquarum censurarum; nam interdictus personaliter, suspensus, vel excommunicatus, etiamsi toleratus, illicite administrat hoc Sacramentum, ex communi apud Castropalaum, utpote qui exclusus est ab omnium Fidelium communione, & præcipue ab hac, quæ est omnium maxima. Limites, nisi fuerit licite ad id requisitus a Fidelibus, *ex Extrav. Ad evitanda*; siquidem ex causa rationabili, & quando desit alius, licitum est Fidelibus hoc Sacramentum petere a ministro tolerato, atque hic eorum petitioni annuens non peccabit, dummodo, ut diximus supra, eliciat actum Contritionis, & dummodo Absolutionem a censura ante administrationem obtinere minime valeat. Dixi, quando deest alius; nam probabilius est, non licere ab excommunicato tolerato Sacramentum petere, si in promptu sit alius qui illud ministret, ex Coninch. & la Croix *l.*6. *p.*1. *num.*212. contra Valentiam, Dianam, & alios.

62. Demum requiritur carentia prohibitionis factæ a legitimo superiore, vel ab Ecclesia. Hinc, licet Suarez *disp.*33. *de cens. sect.*1. probabilius credat, per se concedi, ut Sacramentum Pœnitentiæ dari possit in Ecclesia specialiter interdicta, persona tamen specialiter interdicta vel directe, vel indirecte, scilicet quæ causam dedit interdicto generali, etiamsi nominatim non sit interdicta, ac denunciata, peccat, per se loquendo, ministrando hoc Sacramentum; sicuti etiam qui illud ministrat tempore cessationis a Divinis extra articulum, vel

vel periculum mortis, ex eodem *ibid. disp. 39. sect. 2.* Dixi, per se loquendo; nam consuetudo præcipue fundata in doctorum virorum auctoritate, & a Pastoribus tolerata, poterit excusare &c. ex eodem *ibidem*. Item Sacerdos Regularis prohibitus a suo Regulari superiore ministrare hoc Sacramentum, peccabit mortaliter illud ministrando, ut habet Diana *tr. 15. res. 16.* vel venialiter, juxta minorem præcepti dati rigorem; quamvis enim superior Regularis jurisdictionem suo subdito datam a Pontifice vel per speciale privilegium personale, vel per Bullam Jubilæi (non autem per privilegia directe, & primario concessa Ordini, & personis ejus, ex his enim emanans jurisdictio, cum non descendat ad singulos Religiosos, nisi media concessione superiorum, præsertim in Societate Jesu, potest a Prælato limitari, coarctari, & communicari, prout libuerit, ex Suarez *tom. 4. de Rel. lib. 2. cap. 10.* nec eidem datam ab Episcopo independenter a superiorum licentia, quod sane Episcopi, etsi possint, tamen facere non præsumuntur, nisi id exprimant, ex Diana apud Tamburinum *lib. 5. cap. 5. §. 4.*) quamvis, inquam, talem jurisdictionem vel coarctare, vel abolere nequeat, potest tamen Religiosum regere in usu talis jurisdictionis; adeoque, prohibendo, illicitum reddere usum talis facultatis. Cum vero in licentiis expediri solitis a Curia Episcopali habeatur hæc clausula, *ut in Ecclesiis tui Ordinis, & in aliis de licentia Rectorum Confessiones audire valeas*, si forte contingeret, ut quis in aliena Ecclesia sine licentia ejus Rectoris Confessionem exciperet, valide quidem exciperet, quia ea verba non faciunt conditionem, sed modum, ex Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 33.* non careret tamen per se aliqua culpa, etiamsi privatim id faceret. Quod si publice, quasi alienam jurisdictionem invadendo, posset etiam graviter peccare, præsertim superveniente scandalo, & confusione, ex Layman *de leg. tr. 4. cap. 6. num. 4.* Item ea verba, *in Ecclesiis tui Ordinis*, posita sunt demonstrative, non taxative, ex Clericato *decis. 39.* aliisque.

§. VI.

De obligatione excipiendi Confessiones.

63. SAcerdos talibus commemoratis requisitis instructus ita, ut & valide, & licite administrare possit hoc Sacramentum, non hoc ipso tenetur illud ministrare; sed obligatio talis administrationis aliunde oritur, nempe vel ex obedientia, & voto, vel ex officio, & justitia, qualis est in Episcopis, & Parochis &c. Et quidem Episcopus, etsi aliquando, id postulante gravi necessitate subditi, teneatur immediate per se ipsum Confessiones audire, regulariter tamen non tenetur ad id, quia habet regimen universalius, & plures actiones ex officio, quibus incumbere debet. Prælatus vero Regularis exemptus, quamvis sit ordinarius Pastor animarum suorum subditorum, & in eum translata sit cura, quam Episcopi, vel Parochi habent circa suos subditos sæculares, tamen debet quidem esse paratus ad Confessiones subditorum audiendas, si ipsi velint ei confiteri; at hoc munus Confessarii personaliter, & per se exercere ordinarie non potest, ex decreto Clementis VIII.

ajen-

ajente: *Non liceat superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab iis petierint*. Adeoque non solum ex proprio instituto, & regula, quilibet superior Regularis sive immediatus, sive mediatus, ut observat Suarez *tom.4. de Relig. l.2. cap.16.* tenetur propriam jurisdictionem alteri delegare, cui Religiosi libere confiteantur, verum etiam ad id tenetur sub gravi, ex rigore juris, & decreto ejusdem Clementis VIII. in quo notanda sunt ea verba *sponte, aut proprio motu*; ea siquidem, cum disjunctiva sint, non vetant Prælatis subditos ad sibi confitendum suaviter inducere, hoc illis consilium dare, aut ab iis id petere; nam adhuc ipsi id facerent sponte, licet non facerent proprio motu: verum securius est, ut id non fiat nisi proprio motu ipsius pœnitentis, ac præsertim cavendum, ne timor aliquis reverentialis, aut nimia persuasio, quæ est virtualis quædam præceptio, intercedat, ex Suarez *ibidem*. Rursus ea verba, *nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint*, docent, non esse, per se loquendo, Prælatos Regulares obligatos delegare jurisdictionem in reservata, quamvis de facto ob pœnitentis utilitatem, aliasque occurrentes circumstantias, & ex eodem decreto Clementis VIII. *in sequent.* §. ea jurisdictio committenda sit, non semper quidem permanenter & habitualiter, sed quando casus occurrerit, & quando Confessarius designatus, suo principaliter, & etiam superioris judicio committendam censuerit. Tunc autem sic prudenter censebit, quando nec damnum proximo, nec bono publico Religionis, nec ipsi pœnitenti ex ea Absolutione timeri rationabiliter potest. Quod si in tali casu, quo Confessarius designatus censet sibi committendam eam jurisdictionem, superior nihilominus committere nolit, tunc per declarationem Urbani VIII. confirmantis decretum Clementis, poterit Confessarius designatus illa vice, pœnitentem Regularem, etiam non obtenta a superiore facultate, absolvere. Notanter dixi ly *designatus*; nam hoc jus an habeat locum etiam respectu alterius Confessarii, cæteroquin docti, & pii, res est valde dubia; & cum agimus de jurisdictione necessaria ad actum, non est satis qualiscumque interpretatio concessionis datæ.

64. Parochus tenetur hoc Sacramentum ministrare, non solum quando subditi tenentur confiteri, sed etiam aliis temporibus, si ipsi subditi petant, ex Bonacina *de Pœn. quæst.7. p.4. §.2.* aliisque contra nonnullos minime audiendos, saltem quando est tempus alicujus Jubilæi, vel quando subditus aggressurus est longum iter, aut quando solemnitas aliqua occurrit, & nulla est notabilis causa negandi. Certum autem nobis est ex de Lugo *de Pœn. disp.22. sect.1.* illum teneri id præstare etiam cum periculo suæ mortis, quando pœnitens est in extrema, vel in gravi necessitate salutis: tunc vero censebitur in extrema necessitate, quando morti vicinus existit in peccato mortali, & ignorat, aut quid sit perfecta Contritio, aut an, & quomodo elicienda: tunc censebitur in gravi necessitate salutis, quando non sine magna difficultate potest elicere Contritionem perfectam, ex de Lugo *ibidem*. Scietur porro, hunc, vel illum esse in hac, vel in illa necessitate, observando has sub-

subsequentes tres regulas traditas a Doctoribus apud Gobatum : I. quod, si noveris, hominem esse flagitiosum, præsumas existere in gravi necessitate; etenim tales rarissime, nisi a probis Confessariis edocti, & inducti, eliciunt actum perfectæ Contritionis : II. quod si compertum tibi sit, hominem esse vitæ perquam bonæ, & honestæ, confessumque paulo ante ægritudinem, prudenter confides, operam Sacerdotis haud esse ipsi necessariam, ex Suarez *de Pœn. disp.*44. *sect.* 3. *num.*15. III. quod si homo sit tepidus, ac remissus in procuranda æterna salute, atque ab uno circiter mense non expiatus Confessione sacramentali, recte præsumes, indigere Absolutione sacramentali; rari enim sunt inter hujusmodi homines, ut notat *ibidem* Suarez cum aliis, de quibus imprudenter formides, ne intra tale temporis spatium Deum graviter offenderint. Imo non nimis rigidam censemus opinionem Caramuelis docentis *in sua Theologia præterintentionali num.* 2595. Parochum obligari ministrare cum mortis suæ periculo Sacramentum Pœnitentiæ, nisi certus moraliter sit, infirmum non existere in statu peccati mortalis, aut certe non esse tunc occubiturum. Admittimus tamen cum Suarez, Vasquez, Layman, Castropalao, & aliis, quod raro Parochus tenetur immediate per se ipsum Sacramentum hoc ministrare, sed satisfaciet suæ obligationi, si per alium idoneum ministret, & subditi id ægre non ferant : adeoque potest Parochus tempore pestis cum licentia Episcopi se subducere, dummodo substituat æque profuturum, & subsistat in loco, in quo possit suo gregi providere ; autem nequeat substituere idoneum, non potest uti privilegio Tridentini recedendi ad bimestre, nec potest Beneficium resignare, ex pluribus apud la Croix *l.* 3. *part.* 1. *num.* 154. Quomodo vero tempore morborum, seu pestis, debeat suæ valetudinis in Sacramento hoc ministrando curam habere, optime docet Chapeaville *in lib. de ministrandis tempore pestis Sacramentis*, nec pauca exposuit Castropalaus *tract.* 23. *disp. un. p.* 19. Demum quamvis, ut diximus, Parochus teneatur hoc Sacramentum ministrare, quando subditi etiam ex devotione illud petant, non proinde tamen fit, eum ad id teneri, quando subditi ex mera devotione illud petunt tempore, ac loco non opportuno, ex Suarez *disp.* 32. *sect.* 1. & Layman *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. siquidem tempore ac loco non opportuno non habent subditi jus illud petendi : unde etiam Parochos afficit prohibitio synodalis in aliquibus diœcesibus, qua cavetur, ne Confessiones mulierum excipiantur ante Solis ortum, vel post illius occasum. Item non tenetur Parochus ministrare, si subditus importune, & nimis frequenter confiteri velit; quia non tenetur summam diligentiam adhibere, vel laborem, sed moderatam, & prudentem sollicitudinem. Atque hinc etiam sequitur, quod extra casus gravis, vel extremæ necessitatis, aut Jubilæi &c. si Parochus semel, aut iterum neget, vel differat audire Confessionem, non proinde peccet mortaliter, dummodo non sit dilatio nimia, ex Suarez *loc. cit.*, approbante, eumque contra Bonacinam defendente Card. de Lugo *disp.* 22. *sect.* 1.

65. Alii Confessarii, qui non tenentur ex officio, vel justitia, ut supradicti, obligationem ministrandi hoc Sacramentum contrahunt vel ex obedien-

tia,

tia, aut voto, vel ex charitate. Ex obedientia tenentur ii, qui ſub ea vivunt, quando, & quoties illis a Prælato id injungitur: qua in re attendenda ſunt principia generalia præcepti, ac voti obedientiæ. Ex charitate, juxta generalia hujus virtutis principia, tenentur iidem, aliique, quando proximus eſt in extrema ſalutis neceſſitate, vel quando eſt neceſſitas communis, licet non extrema, ex de Lugo *loc. cit.* & quidem in his caſibus etiam cum periculo vitæ, deficientibus tamen cæteris qui ſubveniant: non eſt autem certum, quod hi teneantur in gravi proximi neceſſitate cum ſuo vitæ periculo, quamvis in deficientia aliorum id probabiliſſimum ſit, ex eodem: ubi cum Suarez advertimus, ex neceſſitate tam grandi hujus Sacramenti facilius naſci obligationem charitatis miniſtrandi hoc, quam alia Sacramenta. Cæterum, abſtrahendo ab his caſibus, Sacerdos, qui non tenetur ex officio, poteſt recuſare adminiſtrationem petitam hujus Sacramenti; at, ſi ſemel petitioni acquieverit, & Confeſſionem exceperit, tenetur Abſolutionem concedere, vel negare, pro meritis cauſæ, ex Layman, Caſtropalao, aliiſque: ſicuti ſi infirmum audierit Religioſus, tenetur ex Conſtitutione Clementis X. certiorem illico reddere Parochum de Confeſſione facta ab eo infirmo, atque hoc poteſt præcipi ab Epiſcopo Regularibus ſub pœna ſuſpenſionis a facultate audiendi Confeſſiones: ſufficiet tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam. Qua in re examini, ac judicio ſapientum relinquo 1. an id intelligendum ſit de infirmo, ſeu morbo periculoſo, non autem de quocumque? 2. an ſufficiat certioratio facienda Parocho per ipſos domeſticos, vel per ipſum ægrotum, quando hi ſunt fide digni? Certe tale præceptum per ſe videtur obligare ſub gravi.

66. Dixi, Sacerdos, qui non tenetur ex officio, poteſt recuſare audire Confeſſionem petitam: ideſt, non peccat recuſando; at certe non facit, per ſe loquendo, rem ſanctam, & conformem charitati ac miſericordiæ ſacerdotali: quilibet ſiquidem Sacerdos rite inſtructus, juxta dicta, etiam non rogatus, munus tam ſanctum audiendi Confeſſiones, Deoque tam gratum, haud ægre ſubire debet; quia, ut ait Ven. P. Ludovicus de Ponte, Confeſſiones audire eſt actus heroicus, cum in hoc miniſterio, modo quodam ſpeciali, cuncta miſericordiæ opera tum ſpiritualia, tum corporalia exerceantur, in eoque magis immediate, quam in aliis, Sacerdos plurimum conferat ad reducendas, & conciliandas animas ſuo Creatori, imo ſe ipſum in multis vincat, multas ſuperet repugnantias, idque ſine ullo prorſus applauſu, qualis conciones ſæpe circumſonat, adeoque ſine vanæ gloriæ periculo. Videatur P. Tobias Lonher *in Inſtruct. pract.* hac de re diſſerens pie, ſolideque.

67. Ut vero timorem illum arceat, quo aliqui ab hoc ſuſcipiendo munere deterrentur, putantes, ſe non poſſe illud prudenter, docte, pieque, ut par eſt, obire, meminerit Sacerdos, quæ doctiſſimi viri circa hanc rem ſparſa in variis libris ediderint: nempe I. credi omnino debere, hoc Sacramentum non eſſe ſic inſtitutum a Chriſto Domino, ut difficillime adminiſtretur, ex Francolino *in Cler. Rom. diſp.* 5. II. rejiciendam omnino eſſe eam adminiſtrandæ Pœnitentiæ praxim, ex qua ſequeretur, quod hoc Sacramentum

 eva-

evaderet maxime onerosum ejus ministris, vel susceptoribus, & magis, quam ferat Sacramenti necessitas, licet ejusmodi praxis removeret non paucos a peccato; quia videlicet removeret etiam a Sacramento, ex eodem *ibid.* III. præsumendum Confessario posteriori, priorem esse bene functum officio suo, itaque accedente pœnitente, qui alteri confessus est, credendum, illum alterum satisfecisse suo muneri quo ad examen numeri, ac specierum, quo ad aperiendum onus restitutionis &c. nisi error deprehendatur, ex Fornario, & Gobato: IV. non contrahi, adeoque non confitendam malitiam circumstantiæ mutantis speciem, nisi pœnitens, quando peccatum committebat, saltem dubitarit, an adesset talis circumstantia, & an contraheretur nova malitia; unde non est adeo timendum in excipiendis Confessionibus rudium, nec ipsi vexandi sunt interrogationibus, quas forte nunquam percipient, ex eodem: V. illos, qui sponte accedunt ad Confessionem, & eo fine, ut vere reconcilientur cum Deo, si non appareant satis dispositi, posse statim paucis, sed multum significantibus verbis disponi ad actum doloris, & propositi necessarii, esto non ad habitum, seu ad longam perseverantiam in his actibus, quæ non est requisita ad valorem: satis autem esse, quod Confessarius volens absolvere, habeat judicium prudens de prædictis actibus doloris, & propositi in suo pœnitente: tale vero judicium a Confessario sufficienter haberi, dum pœnitens aut exercite ipso modo confitendi, aut signate dicit se habere talem dolorem, nisi sit præsumptio contra ipsum, ex Francolino, Suarez, aliisque: VI. demum ad hujus Sacramenti administrationem, sicuti non requiritur diligentia summa, sed dumtaxat mediocris, ex Lonher, ita non requiri scientiam summam, immo per accidens hanc sæpe esse minus utilem, quam mediocrem conjunctam cum naturali judicio, & praxi; qui enim ita subtiliter volunt omnia revocare ad apices theologicos, non raro se ipsos, & alios implicant scrupulis, aliisque difficultatibus, ex la Croix *num.* 1787.

68. His igitur, aliisque in memoriam revocatis, prompte, & alacriter Sacerdos, rite ut supra idoneus, munus tam sanctum suscipiet. Duo tamen præmittenda illi sunt: I. ut incipiat excipere Confessionem cum intentione aut actuali, & expressa, aut implicita, & virtuali, non tantum serio agendi, sed faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit; sic enim obviabit scrupulis nasci solitis post actum Absolutionis; ac præsertim in aliquibus casibus ea dari cum debeat sub conditione, eam implicite conditionate dabit, licet expresse non cogitaverit de conditione; siquidem in talibus casibus Christus voluit dari sub conditione, ipse vero habet intentionem satisfaciendi intentioni Christi, ex Gobato *tr.* 7. *num.* 272. II. ut renovet desiderium salutis animarum, & Divini honoris, per orationem, qua ante opus (licet breviter) petat a Deo gratiam pœnitentibus ad Sacramenti finem consequendum, & sibi ad suum munus rite obeundum, ex Polanco *cap.* 2.

CA-

CAPUT II.

De obligationibus concomitantibus actum excipiendi Confessionem.

69. Confessario in excipiendis sacris Confessionibus tria potissimum incumbunt munera, scilicet judicis, doctoris, medici, *ex Cap. Omnis utriusque &c. de remiss. & pœn.* & ex Tridentino *sess. 14. de Pœn. c. 2. 5. 6. & 7.* Præcipuum tamen inter hæc est officium judicis, quod indicatur aperte illis verbis Salvatoris *Joan. cap. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Propterea explicaturi, quænam ex unoquoque munere obligationes emanent, initium ex officio judicis capiemus.

§. I.

De Confessario, ut judice.

70. Confessarius ut judex debet 1. reum audire: 2. interrogare: ac deinde, cognita sufficienter dispositione conscientiæ pœnitentis, illum injuncta proportionata Satisfactione, & servatis servandis absolvere, vel differre, aut negare Absolutionem respective. Debet igitur I. audire reum, ac propterea non solum in eo requiritur potestas naturalis audiendi, ut patet, sed de facto intelligere, ac percipere debet quidquid pœnitens exponat, & sensum verborum ab eo prolatorum cognoscere; nam judiciaria potestas hoc postulat, ut, quod debet judicare, discernat, *Can. 1. Pœnit. dist. 6. §. Caveat.* Hinc primo tenetur Confessarius dare operam, ne inter audiendas Confessiones distrahatur, aut dormitet; nam peccaret mortaliter, si per ejus dormitationem, aut distractionem fieret, ut aliquod mortale nec intelligeretur, nec posset ejus non intellecti repetitio exigi sine notabili molestia pœnitentis, ex Gobato *num. 491.* qui jure *ibidem* putat, Confessarium, cæteroquin pium, & timoratum, non debere in dubio formare sibi scrupulum de plusquam veniali negligentia in expellenda somnolentia, vel distractione: licet enim plene deliberata expellendis his non sit excusanda a mortali ob irreverentiam Sacramenti, & periculum non audiendi necessario audienda, rarissime tamen est hujusmodi negligentia plene deliberata. Addimus, quod, si pœnitens fuerit antea notus de constanti innocentia, difficilius erit graviter mala negligentia in removenda distractione &c. tum quia talis pœnitens minus ægre feret repetitionem eorum, vel ejus, quod exposuit, tum quia fere nullum subest periculum omittendi aliquod substantiale, ex eodem. Quando autem Confessarius animadvertit, se dormitasse, vel distractiones fovisse, tunc vel ipse est certus, se non percepisse id quod erat necessario percipiendum, vel dumtaxat est dubius, an perceperit? Si certus est, se non percepisse necessario percipiendum, jubeat, repeti a pœnitente vel totam Confessionem,

vel eam partem, in qua non percepit respective; quæ jussio fieri communissime debet, statim ac Confessarius comperit talem defectum, si nihil prorsus de peccato percepit; at si probe percepit genus illius peccati, non vero speciem, vel speciem percepit, at non numerum, facilius differet jussionem repetitionis, seu interrogationem usque ad finem, ex de Lugo, & la Croix, aliisque: ubi notamus cum Dicastillo *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 3. *dub.* 6. non fieri certum Confessarium de non sufficienti perceptione ex eo, quod ille hic & nunc ignoret, quid pœnitens dixerit, seu illius non recordetur; nam sæpissime usu evenit, ut distractio ad alia sit tam tenuis, ut, ea stante, percipiantur vere verba pœnitentis, sed tam tenuiter, ut statim effluat memoria illorum. Si autem rationabiliter dubius est Confessarius, an perceperit, vel an id, quod non percepit, fuerit mortale, necne? facile excusabitur a repetitione imperanda; tum quia non debet ob dubium incertum creare certam molestiam pœnitenti; tum quia in dubio rationabili, an perceperit, debet, aut saltem potest præsumere se intellexisse, eo quod in dubio non sit præsumendus defectus moralis, sed potius omnia esse rite gesta, per *l. Merito ff. Pro socio*. Porro si Confessarius ex prioribus Confessionibus hujus, vel illius pœnitentis, sit moraliter certus, id, quod non intellexit, esse solum veniale, aut aliam materiam non necessariam, nec possit sine molestia, aut turbatione pœnitentis interrogare, tunc sane non tenebitur imperare repetitionem, ex Stoz. & la Croix *num.* 1716. Limites, nisi in casu, quo reliqua pars Confessionis tota caret materia sufficienti ad Absolutionem, ex Gobato *loc. cit.* Imo scrupulosus Confessarius sciat, ex eodem apud la Croix *loc. cit.* etiam in hoc casu se non teneri imperare talem repetitionem, & posse absolvere, dummodo concurrant hæ circumstantiæ: I. quod per experientiam noverit, hunc pœnitentem esse constantem peccati mortalis hostem, nec unquam illud in se admittere: II. quod per eamdem experientiam noverit, hunc semper solere confiteri unum certum peccatum veniale, v. g. voluntariam distractionem, aut quid simile: quamvis pro praxi, quando Confessarius, absoluta Confessione, nullius peccati est memor, & moraliter certus est, non intellexisse, nisi venialia, censemus cum la Croix, aliisque, imperandam esse repetitionem unius certi venialis peccati, aut expositionem novam alterius peccati jam alias rite confessi.

71. Hinc secundo, nempe ex obligatione audiendi reum, fit; quod peccaret graviter Confessarius, si imperitus omnino alicujus idiomatis, vel semiperitus exponeret se ad audiendas eorum Confessiones, qui eo utuntur, sine ulla prorsus necessitate: at, si urgeat necessitas, licite, & valide excipiet Confessionem illius, cujus linguam non bene callet, aut etiam omnino non callet, dummodo pœnitens unum, aut alterum peccatum, saltem veniale, saltem nutibus sic exprimat, ut intelligatur a Confessario, velitque omnia confiteri, & id facere conetur, ex Navarro, Sa, Reginaldo, Layman, aliisque. Necessitas autem hoc loci non accipitur solum pro articulo mortis, in quo clarum est Absolutionem impertiendam tradenti aliquod signum accusationis dolorosæ; sed accipitur pro casu, in quo urgeat præce-

ptum

ptum Confessionis, nec Confessarius alius commode haberi possit, qui pœnitentem melius intelligat, ex Bonacina *de Sacr. disp.5. q. 5. punct.* 2. §. 4. aliisque; imo non improbabiliter cum Castropalao *tract.* 23. *punct.*11. *n.* 2. Navarro, Reginaldo, Sa, & Gobato, accipitur etiam pro casu, in quo non urgeat præceptum Confessionis, sed pœnitens, ut consulat suæ conscientiæ, velit confiteri, & Confessarius alius commode haberi nequeat: monendus tamen erit pœnitens, ut non intellecta aperiat deinde alteri Confessario linguæ perito. Unde bene advertit Gobatus *num.* 485. pro praxi posse Confessarium sine scrupulo audire pœnitentem extraneæ linguæ, qui forte ad illum accedat, si aliquo modo eumdem intelligat, quamvis non bene omnia percipiat, si noverit, alium non adesse, qui melius, quam ipse, sit intellecturus peccata ipsius: & quidem, si aliquid ille fateatur, de quo, consideratis circumstantiis personæ, merito dubitet, an sit mortale, & per nullam circumscriptionem, vocabulorumque variationem intelligere queat, quid tandem illud sit; moneat, ut ante Communionem, si sine notabili incommodo fieri queat, alium quærat, cui integre conscientiam suam aperiat. Idem Auctor ex praxi virorum timoratorum, & doctorum, censet, nullum inferiorem debere vel detrectare, vel multum deprecari, si ipse peritus tantum unius dialecti in aliqua lingua, exponatur a suis superioribus ad excipiendas Confessiones utentium alia, admodum quidem, non tamen extreme diversa: quæ quidem opinio usui esse potest, ne quis, in defectu Confessarii periti talis non admodum diversæ dialecti, audiendis rusticorum Confessionibus subtrahat se se, causans imperitiam dialecti, modique loquendi valde alieni a communi usu.

72. Hinc tertio fit, quod Confessarius solum imperfecte percipiens nutus muti, non debet illi hoc Sacramentum ministrare, si alius Confessarius adsit, qui valeat probe intelligere ejus nutus, sed ad hunc debet illum dirigere, ex Diana *part.5. tract.6. ref.*3. *&* 4. Si vero nullus alius adsit, qui mutum recte ex gestibus intelligat, tunc quilibet Confessarius poterit illi Sacramentum ministrare non solum in articulo mortis, sed etiam urgente præcepto Confessionis (non improbabiliter etiam in Jubilæis, & celebrioribus festivitatibus), dummodo observentur hæ circumstantiæ: I. videlicet, quod, stante impotentia percipiendi ex ejus nutibus peccata in sua specie, doceatur Confessarius a domesticis & familiaribus muti, antequam suum ministerium aggrediatur, quibus ille signis soleat ostendere, se & dolere de peccatis, & petere christiane Absolutionem, atque indicare se peccatorem; eaque signa de facto a muto exhibeantur: II. quod, stante potentia percipiendi ex nutibus aliqua ejus peccata in sua specie, interrogentur (citra revelationem) domestici, & doceatur Confessarius, quid velit ille hoc, vel altero signo indicare, ex Diana, & Gobato *num.*476. Hæc vero ab Auctoribus asseruntur, facta suppositione, quod mutus tempore præcepti teneatur confiteri, & quidem vel nutibus, vel scriptura, cum nequeat verbis; ita enim fert satis communis sententia Doctorum apud Dianam *loc. cit. ref.*3. verum cum eodem Diana obligationem in muto confitendi per scripturam non satis agnoscimus, cum non videa-

videatur verosimile, hoc Christum Dominum præcepisse. Obiter hic advertimus ex occasione, asseri a Lessio *in Conf. v. Confes. cas.* 11. non posse absolvi in magno populi confluxu surdastros (& a fortiori surdos), qui imperfecte confitentur, nec nisi alta voce perceptibili a circumstantibus, ac prudenter suspicientibus agi de mortalibus, interrogari possunt; sed esse hujusmodi homines remittendos in aliud tempus, quo possint examinari, nisi forte essent in articulo mortis &c. imo notat Possevinus *de officio Curati cap.* 7. redeuntes tempore opportuno, esse audiendos in loco remoto, interrogandosque de solis pure necessariis in mortalibus, sine sua gravi, aut illorum defatigatione. Equidem pro praxi observarem, quod observabat eruditissimus Gobatus: nempe, quando suppeterent mihi peculiaria signa ex sexu, ætate, & conditione, vel ex propria experientia, quibus judicarem, hunc, vel illum surdum, aut surdastrum esse innocentes animas, nec adferre res graves, aut eas confiteri satis castigate, & prout oportet, admitterem eos ad Confessionem etiam publice, & in magno concursu populi, atque illis vel injungerem pœnitentiam levem, etiam aliis forte audientibus, vel convenirem antecedenter cum ipsis de signis indicantibus quantitatem, & qualitatem pœnitentiæ respective injungendam: non admitterem autem eosdem tali loco, & tempore ad Confessionem, si ob peculiarem rationem, vel inexperientiam timerem, ne adferrent talia, de quibus & deberem eos alloqui, & nequirem intelligi, nisi audientibus aliis, ac prudenter suspicantibus agi de mortalibus: unde accedentibus hujusmodi ad Confessionale, ipsi alta voce dicerem: *non possum tibi jam præbere aures; veni alio tempore.*

73. II. Interrogare, altera est obligatio emanans ex officio judicis, ubi expendemus I. an, & qualis sit talis obligatio: II. quinam interrogandi: III. circa quæ interrogandi: IV. quomodo interrogandi: ac demum V. quando interrogandi. Ac primo quidem Confessarius tenetur sub gravi aliquando interrogare pœnitentem, nempe non solum quando ipse moraliter certus est, pœnitentem non præmisisse sufficientem ac debitam diligentiam in se examinando juxta suum captum, & possibilitatem, adeoque culpabiliter aliquid necessarium omittere, uti ab omnibus conceditur; sed etiam quando, licet probabiliter ipse judicet pœnitentem præmisisse sufficientem ac debitam diligentiam in se examinando, tamen probabiliter, & prudenter judicat, spectatis circumstantiis, pœnitentem alicujus mortalis necessario cæteroquin manifestandi oblivisci, adeoque sive ob ignorantiam invincibilem, sive ob inadvertentiam inculpabilem, aliquid inculpabiliter omittere, ex Suarez, Navarro, Castropalao, aliisque communiter: & quamvis Medina, Sotus, Henriquez, aliique censeant, Confessarium non teneri interrogare, quando prudenter judicat, pœnitentem se sufficienter examinasse juxta suum captum, & possibilitatem, esto probabiliter simul credat, aliquod peccatum, vel circumstantias, ob inadvertentiam, vel ignorantiam non fateri, nisi quando cederet in detrimentum tertii; tamen hæc opinio, quæ a la Croix putatur improbabilis, a Vasquez vero *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 7. vocatur probabilis, ac talis, ut non facile posit falsitatis convinci, usui esse quidem

dem potest Confessario scrupuloso, ne nimis angatur, at non est regulariter adhibenda; quia in judicio hoc sacramentali non solum agitur res peccatoris, sed etiam suo modo agitur res Dei, & ideo tenetur judex etiam partes Dei agere, & omnem Dei offensionem ad tale judicium afferre, priusquam reus absolvatur, ex Suarez. Illud sane admittimus, hanc interrogandi obligationem in Confessario non excedere limites obligationis, quam habet pœnitens in se examinando: unde, cum pœnitens non teneatur, nisi ad diligentiam atque examen humanum, idest ex Card. de Lugo *disp. 16. sect. 15. tale, ut non generet ex se fastidium* (scilicet fastidium rationabile, & non intrinsecum ipsi rei) *& tædium hujus Sacramenti*, ita Confessarius non tenetur ad interrogandum, nisi moraliter, & humano modo; ac propterea, ex eodem de Lugo *ibidem*, debet Confessarius accommodare se pœnitenti, & notitiam peccatorum a singulis petere juxta capacitatem singulorum, subtiliorem a subtilioribus, crassiorem a crassioribus, breviorem ab infirmioribus: hæc enim est notitia, & interrogatio humana, quam solam hoc Sacramentum desiderat, ex eodem. Ex hac porro doctrina monent gravissimi Auctores I. ne cum nausea & tædio pœnitentis numerus peccatorum quæratur, si ex dictis pœnitentis moraliter, & probabiliter æstimari possit, ex Tannero *num. 83.* II. minus exacte quo ad species &c. interrogandum esse circa singula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora, ex de Lugo *loc. cit.* quia alioquin foret ipsis molesta Confessio: III. sicuti non valet in pœnitente hæc consequentia: Si plus se examinaret, plurium recordaretur: ergo tenetur plus se examinare: ita non valere in Confessario hanc: Si plura interrogaret, plura detegeret: ergo tenetur plura interrogare: sanctum est enim illud *Prov. 30. Qui vehementer emungit, elicit sanguinem*: ac semper Confessario præ oculis habendum est, ne Sacramentum fiat onerosum, sed sit facile remedium juxta debilem hominum conditionem, prout a Christo institutum fuit.

74. *Quinam sint interrogandi?* Omnes sunt interrogandi, qui aut non præmiserunt sufficiens examen juxta suum captum, & possibilitatem, aut, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, certo ex circumstantiis aliquod necessario manifestandum alia quavis ratione omittunt, vel qui licet præmiserint sufficiens examen, tamen probabiliter ex circumstantiis aliquod necessario manifestandum omittunt, dummodo id fiat, absque eo quod Sacramentum reddatur odiosum, ex dictis. Nec habendus est respectus personarum; quia Christus, ut bene advertit Gobatus, non instituit peculiarem Theologiam pro Confessionibus Principum, & Magnatum, sed voluit, eos eadem lege teneri: cum autem ferme fiat, ut regulariter respectu aliquorum pœnitentium vel nunquam, vel raro, vel frequenter detur certitudo, aut probabilitas talis omissionis provenientis sive ex defectu sufficientis examinis, aut hujusmodi, sive ex inadvertentia, aut ignorantia post etiam præmissum sufficiens examen juxta suum captum; hinc sequitur, pœnitentes distinguendos esse in tres classes, & in prima reponendos viros honestos, doctos, v.g. Religiosos, Doctores Juris, studiosos Theologiæ, Canonum &c. in secunda viros bene quidem institutos, sed non satis doctos, nec multum in re morali peritos,

v.g. cives, officiales Principum, mercatores &c. in tertia homines rudes, vel indoctos, v.g. agrestes, famulos infimos, artifices &c. ex Lonher. Quo posito, I. non sunt regulariter interrogandi, nisi de iis peccatis, peccatorumque circumstantiis, de quibus ipsi se accusant, & fortassé non satis explicant illi, qui sunt in prima classe; quia præsumendum est, regulariter eos præmisisse diligens examen, & habere scientiam sufficientem, qua possint circumstantias, & numerum necessario explicandum dignoscere, atque advertere: unde aliquando, si hujusmodi pœnitentes numerum in peccatis enarratis non addant, prudenter judicare poterit Confessarius, quod peccata a se enarrata, mortalia non sint, saltem propter circumstantiam, quæ ex mortali faciat per accidens veniale, ex Layman, Gobato, & Lonher. Notentur tamen diligenter illæ particulæ, *regulariter*, *aliquando*. II. Pœnitentes existentes in secunda classe, sæpe sunt interrogandi, sæpe non: quia licet regulariter judicandi sint, præmisisse diligens examen, tamen, quia posito diligenti examine dubium est, an potuerint ex propria scientia & advertentia indagare recte circumstantias, & numerum, hinc ex eorum Confessione deprehendendum id est; &, si quidem in plerisque peccatis aliquis eorum sufficienter exponat numerum, species &c. præsumendum est, esse satis instructum, nec interrogandus regulariter, si vero secus, interrogandus ille est. III. Pœnitentes existentes in tertia classe regulariter interrogandi sunt; quia regulariter, ut inquit Lonher, sufficiens examen non præmittunt, vel, etiamsi præmittant, sufficientes ipsi non sunt sibi relicti ad numerum, & circumstantias peccatorum indagandas: unde recte monet Gobatus, quod, etiamsi hujusmodi homines testentur se probe examinasse, & nihil occurrere ultra ea quæ fassi sunt, tamen sunt iis faciendæ aliquæ interrogationes circa peccata, quæ hujusmodi homines patrare consueverunt: ubi notamus cum Card. de Lugo *disp.16. sect.14.* & Segneri *in Confess. instr.* non esse facile rusticos, & hujusmodi homines dimittendos ad cogitandum de suis peccatis cum majori attentione; quia fere non est spes, quod sibi relicti melius examen faciant, quam illud, quod, juvante Confessario, statim facere poterunt.

75. *Circa quæ interrogandi?* Certe non interrogandi sunt pœnitentes de inutilibus, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ne Confessarius pœnitenti molestus sit, tum ne videatur potius curiosus inquisitor, quam necessarius investigator, ex Castropalao *tract.23. p.19.* Hinc 1. Cardinalis de Lugo *disp.22. sect.2.* putat regulariter omittendas aliquas ex iis interrogationibus, quas Summistæ docent præmittendas esse a Confessariis, v.g. an pœnitens afferat dolorem, & propositum requisitum, an fecerit examen diligenter &c. quia ut plurimum erunt inutiles tales interrogationes: proderit tamen sæpissime; ut pœnitens ignotus interrogetur de tempore elapso ab ultima Confessione; quia id multum juvabit ad numerum peccatorum postea percipiendum. Hinc 2. ex Gobato, non interroganda sunt, quæ numerum substantialem, speciemque non variant, vel certe intra eamdem speciem non valde graviter aggravant, minuuntque. Notes ly valde graviter: nam circumstantia valde graviter aggravans, etsi, per se loquendo, non sit probabiliter manifestanda a

pœni-

pœnitente, est tamen regulariter interroganda a Confessario, tum ob peccatorum multiplicitatem, quæ eamdem non raro comitatur, tum ob reservationem non raro eidem annexam, tum ad rite censendum de peccatis, & medendum vulneribus pœnitentis: qua stante interrogatione, tenebitur pœnitens eam aperire, ut infertur *ex prop.58. damnata ab Innocentio XI.* ac propterea pœnitens tenetur aperire Confessario interroganti consuetudinem peccandi, ex eodem Innocentio, etiamsi pœnitens sit doctus, ac moraliter certus, se esse dispositum, nec indigere consilio Confessarii, ex Cardenas *in 2. Crisi diss.37.* contra Moyam. De tali autem consuetudine non solum expediens sæpissime est, sed sæpe ex obligatione necessarium, ut Confessarius interroget, ut pluribus in locis observant Segneri, & Pinamonti. Peccaret tamen graviter Confessarius, si ex mera curiositate eam indagaret, nec tunc pœnitens teneretur respondere, ex la Croix *l.6. p.2. num.972.* ex curiositate autem præsumeretur indagari, ait idem Auctor, quando Confessarius ad singula peccata inquireret, *fecistine hoc sæpius?* Hinc 3. interrogandæ sunt illæ dumtaxat species peccatorum, quæ vel solent committi ab hominibus ejusdem conditionis, ætatis, educationis &c. vel quas pœnitentem admisisse, probabile, aut certum est, ex Tannero, & Layman *cap.13. num.7.* unde non interrogandum quidquid possibile est fuisse commissum. Ordinarie tamen advertendum est Confessariis, non exponi a pœnitentibus 1. peccata omissionis in proprio officio: 2. cogitationes morosas, vel desideria: 3. scandalum, quod verbis, vel signis aliis datur: 4. positivam inductionem aliorum ad peccatum: 5. cooperationem ad alterius peccatum: 6. non impeditionem peccati, cum potuerint, & tenerentur: 7. approbationem peccati alieni, vel proprii, laudando illud, jactando &c. unde cautus, & industrius sit Confessarius in iis peccatis a suo pœnitente expiscandis. Hinc demum 4. non debet Confessarius nimis esse sollicitus in interrogando de Confessionibus factis, nec facilis in præcipiendo earumdem repetitionem; non sunt enim obligandi Fideles ad iterandas Confessiones, ubi non constat evidenter de obligatione, ex Filliuccio *t.7. num.151.* Gobato, & Segneri *in Confess. instruct.* Non constat autem evidenter, seu certo de obligatione, quando aut vere dubium est, an sit talis obligatio, aut vere probabile est, quod non sit. E contra tunc constat evidenter, seu certo de obligatione iterandi Confessionem, quando certo constat, intercessisse in priore, vel prioribus Confessionibus defectum substantialem sive ex parte Sacerdotis, in quo non fuerit jurisdictio &c. sive ex parte pœnitentis, in quo non fuerit dolor &c. item quando, consideratis omnibus utriusque partis principiis intrinsecis, atque extrinsecis, rationabiliter dubium est, an intercesserit talis defectus: ubi advertimus, tale dubium posse enervari aliquando, atque haberi pro non rationabili, reflectendo ad hæc duo principia, nempe 1. quod in dubio debet pro valore actus præsumi: 2. quod delictum non est præsumendum. Addimus præterea, quod si Confessarius advertat, pœnitentem rudem, propter rusticitatem, & ignorantiam non culpabilem, non rite expressisse numerum, nec distincte exposuisse speciem, sed tum numerum, tum speciem confuso, & inculto modo falsum esse in prioribus

Confeſsionibus, non debet cogere illum ad magis diſtinċte explicandum tum numerum, tum ſpeciem, ex Card. de Lugo *diſp.16.ſect.14. num.585.* aliiſque. Secus vero dicendum, ſi neque in confuſo id omne expreſſerit, v. g. dumtaxat dixerit, *feci peccatum mortale*, nec addiderit, *multoties*, aut peccatum mortale *furti*, vel *odii* &c. quia ſic nec numerus, nec ſpecies infima fuiſset directe ſubjecta clavibus, ſed ſolum fuiſset directe clavibus ſubjectum prædicatum genericum, & indirecte ſpecies infima identificata cum eo prædicato. In hoc autem caſu debet quidem Confeſsarius magis diſtincte expiſcari tum numerum, tum ſpeciem, ſed non cogere pœnitentem ad ſimpliciter repetendas Confeſsiones factas, ſi quidem ob bonam fidem licitæ ac validæ fuerint, & defecerit ſane integritas materialis, non autem, ut ſuppono, aliquid ſubſtantiale.

76. *Quomodo interrogandi?* Utique diſcrete, caute, honeſte. Diſcretio habebitur, ſi obſervetur id, quod diximus in numero præcedenti, ac præterea ſi aliquando Confeſsarius procedat ex præſumptione, etiamſi certitudinem habere poſsit a pœnitente; nam recte docet Layman, Confeſsarium poſse prudenter præſumere, ſuum pœnitentem judicaſse de objecto, ſicuti exigit objecti natura, & conſequenter poſse procedere ex hac præſumptione, dummodo non ſuppetat peculiaris ratio dubitandi, an hic & nunc fallat præſumptio: unde non erit cum tædio pœnitentis exquirendus numerus mortalium, quando ex dictis pœnitentis poteſt prudenter, moraliterque æſtimari: & mulier confitens fornicationem, præſumenda non raro eſt ſeducta, non autem ſeduxiſse, ex Tannero; item Subdiaconus, vel Religioſus cognitus ut talis, confitens, ſe graviter peccaſse contra caſtitatem, non interrogandus, an noverit, ſe patraſse crimen qualificatum ratione voti, ſed id eſt plerumque præſumendum. Sic etiam Confeſsarius diſcretus, quando ad illum accedet pœnitens, quem novit horrere peccatum mortale, ſi talis confiteatur, ſe turpi cogitationi negligenter reſtitiſse, prudenter præſumet, abſque ulteriori interrogatione, negligentiam non fuiſſe mortalem: at quando noverit, eſſe illum valde facilem, & lubricum in his peccatis, ſine ullo ulteriori examine poterit præſumere de negligentia mortali, ex Gobato *tract.7. num.338.* Cautio habebitur, ſi taliter pœnitens interrogetur, ut nullum ille peccatum addiſcat, quod antea neſciebat, & neque ille, neque Confeſſarius ulli peccandi periculo exponatur. Hoc autem potiſſimum fiet non deſcendendo ad interroganda particularia peccata operis in re venerea, quando pœnitens nihil confitetur ad generalia quæſita: item non interrogando in eadem materia de peccatis operis, quando pœnitens non agnoſcit in ſe ulla peccata cordis; niſi forte pœnitens talis ſit, ut ob ignorantiam non manifeſtaturus ſit peccata cogitationum, niſi rogatus, & inſtructus, ſed ſolum noverit manifeſtare peccata operis. Præterea in eadem materia non raro expediet ſequi in praxi ſententiam Reginaldi tradentis *lib.2. num.34.* non teneri Confeſſarium, niſi illa interrogare, quæ certo novit omitti a pœnitente, nec teneri interrogare, niſi conſueta hujus, vel illius conditionis hominibus, & communiter nota. Siquidem, ut recte docet Coninch *diſp.7.de Sacr. dub.7.* præſtat

stat aliquando, Sacerdotem minus perfecte peccatum pœnitentis intelligere, quam vel sibi, vel illi aliquod scandalum creare, & esse nimium. In aliis vero materiis cautio Confessarii non mediocris erit, si ferme opposito modo se gerat, nempe interrogando, ut olim recte monuit S. Xaverius, non generaliter, v.g. an hic, vel ille habeat quidquam restituendum? quia ad hujusmodi interrogationes plerumque respondent pœnitentes negative, sive inscitia, sive passione excæcati; sed particulariter, v.g. an hic, vel ille merces ultra justum pretium vendat, an steterit conventioni factæ &c. Demum honestas in interrogando habebitur, si Confessarius utatur verbis modestis, gravibus, & quo ad aliquas materias brevibus, ita ut transeat, non immoretur.

77. *Quando?* Etsi quo ad hoc valde inter se discrepent Auctores, asserentibus aliis, differendas esse interrogationes in finem Confessionis, ne terreatur, aut perturbetur pœnitens, aliis asserentibus faciendas in decursu ipsius Confessionis; censemus tamen, certam hac in re regulam tradi non posse, sed aliquando, v.g. in Confessionibus longis, & in casu, quo a pœnitente omittatur numerus, vel species infima, satius erit, ut in ipso decursu discrete & caute interrogetur pœnitens, ne id e Confessarii memoria effluat, ut bene docet de Lugo; aliquando vero, v.g. in brevibus Confessionibus, & in casu, quo novum aliquod, ac distinctum tum numero, tum specie peccatum perconctari judicet Confessarius, satius erit expectare finem Confessionis: unde prudentiæ Confessarii, & experientiæ ejusdem id totum relinquendum videtur; ipse enim ex propria experientia facile intelliget, quinam sint, & qui non sint interpellandi, cujusnam rei ipse sub finem meminisse possit, cujus non possit &c. His absolutis de hac Confessarii obligatione, sequitur in superiori propositione:

78. *Cognita sufficienter dispositione conscientiæ pœnitentis &c.* Hæc autem est tertia obligatio Confessarii, ut judicis: siquidem debet, antequam deveniat ad sententiam ferendam, habere judicium prudens de dispositione pœnitentis, ita ut probabiliter & prudenter judicet, pœnitentem esse dispositum ad Absolutionem recipiendam per actum doloris, propositi, & rite factam Confessionem, ex Suarez *disp.* 23. *sect.* 2. unde sub gravi necessarium est in Confessario tale judicium probabile, & illud sufficit, ex Francolino *in Cler. Rom. disp.* 5. Confessarius autem sufficienter habet tale judicium prudens, dum pœnitens aut exercite in ipso modo confitendi, aut signate dicit, se habere talem dolorem, & propositum, nisi sit præsumptio contra ipsum, quæ ipsius attestationem elidat. Nec debet præsumi, quod pœnitens affirmans, se esse dispositum, dicat falsum, ex eo præcise, quod est relapsus: ex Francolino *ibid.* imo nec semper id debet præsumi, ex eo quod sit frequens relapsus, nam causa per se relapsus, non est deficientia doloris, aut propositi, sed inconstantia voluntatis, & perseverantia ejusdem occasionis sive intrinsecæ, sive extrinsecæ. Verum quidem est, ut bene observat idem Francolinus, quod si, qui est relapsus, non adhibuit post ultimam Confessionem ullum conatum, ullam industriam, ne relaberetur, non est judicandus habuisse in ea ultima Confessione, & consequenter nec habere nunc verum dolo-

dolorem, & propositum; nam qui serio, & efficaciter rem aliquam proponit, saltem procurat, ut illam assequatur aliquo saltem modo, ut observat de Lugo *de Pœn. disp.* 14. *num.* 160. Is tamen potest dare specialia signa doloris in præsenti Confessione, ita ut mereatur ei credi, saltem semel, aut bis post relapsum, ut infertur ex Instructione S. Caroli ad Pœnitentiarios suos Sacerdotes. Si vero, qui est relapsus, serio saltem conatus est non relabi, jam ostendit, se habuisse verum dolorem, & propositum, cujus effectus fuit ille conatus: quare cessat jam præsumptio contra ipsum, debetque ei credi. Similiter dicendum arbitror, si relapsus redeat ad Confessionem post unum, vel alterum relapsum, juxta præscriptum illi datum a Confessario; siquidem talis reditus ex Confessarii præscripto ad Confessionem, videtur effectus doloris, ac propositi præhabiti, ex praxi S. Philippi Nerii *in Vit. l.* 2. *cap.* 6.

79. Item neque datur talis præsumptio de indispositione ex eo præcise, quod pœnitens indispositus ad confessionale accesserit, vel quod die antecedenti peccaverit, vel quod ex inscitia & rusticitate non satis calleat formalitates scholasticas doloris, aut propositi; siquidem potest brevibus, ac solidis verbis disponi, & instrui pœnitens taliter, ut vere doleat, se offendisse suum Divinum Benefactorem, & Creatorem, & nolit amplius illum offendere, & sic disposito, atque instructo debeat credi, affirmanti, quod doleat; nam conversio vera potest citissime fieri, ut bene habet S. Augustinus *in Psal.* 63. *Numquid consilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam, non est locus, non est tempus? Nonne si vis, hodie fit? Nonne, si vis, modo fit?.. Ecce, cum loquor, muta cor, & factum est.*

80. E contrario debet præsumi regulariter, quod falsum dicat pœnitens, asserens, se dolere, prout oportet, si ille id asserat frigide, si alias id asseruerit inutiliter, & sine ulla emendatione culparum etiam graviorum, si nihil eorum præstiterit, quæ illi Confessarius ad cavendum relapsum, vel minuendum culparum numerum præscripserat, cum moraliter ea præstare potuerit, si det signa animi parum solliciti de sua æterna salute, si ad Confessionem accesserit potius coactus auctoritate superiorum, quam sua pietate compulsus, ut sunt qui confitentur solum in Paschate, quique in Collegiis, & Scholis ad Confessionem accedunt iis solis diebus, quibus accedere ex lege tenentur, si concubinam domi suæ alat, ut cum ea commodius peccet: is siquidem regulariter, nec semel fide dignus censendus est, utcumque promittat se ejecturum eam occasionem; si enim vere eam dimittere vellet, tunc dimisisset, cum proposuit confiteri, & exurgere e peccato suo; unde regulariter non est absolvendus, antequam ejusmodi concubinam domo sua ejiciat: demum si pœnitens habeat aliquid alienum restituendum, id potuit restituere sine gravi difficultate, nec restituit, promisit in aliis Confessionibus id se facturum, nec promissis stetit; in tali siquidem casu, ut bene observat Suarez, ejus propositum non potest judicari efficax; quandoquidem convincitur ille esse in magna mora, & posse, & non facere.

81. Notetur autem diligenter, non esse necesse, quod Confessarius sibi per-

persuadeat, pœnitentem non esse relapsurum, ex communi Doctorum; tum quia nulla ratio id persuadet; tum quia vix potest unquam id sibi prudenter persuadere Confessarius, imo nunquam, cum pœnitens habet sola peccata venialia negligentiæ, iracundiæ, & similia: debet tamen Confessarius spem aliquam emendationis concipere, ex Viva. Hinc damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio *num.* 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem*. Hæc vero spes futuræ emendationis non tollitur in Confessario per vehementem timorem de relapsu; quia talis timor nihil aliud est, quam judicium modale enuncians relapsum pœnitentis, non quidem absolute sic, *iste relabetur*, sed cum hoc, vel simili modo, *fortasse iste relabetur*: hoc autem judicium modale, quamvis solido conceptum fundamento, non opponitur cum hoc altero judicio directo enunciante sic, *iste emendabitur*, in quo consistit spes; siquidem illud judicium modale solum negat certitudinem reflexam hujus judicii directi, *iste se emendabit*: & in sensu composito affirmandi emendationem futuram, potest optime stare negatio certitudinis reflexæ quo ad talem emendationem: unde timor non futuræ emendationis potest optime stare cum spe, licet non maxima, futuræ emendationis.

82. Efformato a Confessario judicio prudenti de dispositione pœnitentis, quod diximus esse tertiam ejusdem obligationem, quatenus judex est, debet ipse, ut ajebat supra posita propositio, injuncta salutari pœnitentia proportionata, & servatis servandis, pœnitentem absolvere, vel Absolutionem differre respective. Cum vero de Absolutione danda, aut differenda, de Satisfactione injungenda &c. satis dixerimus in alia Parte de Sacramento Confessionis, solum hic quo ad Satisfactionem insinuamus Confessariis observandum illud Paludani *dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 1. nempe: *Nunquam debet imponere pœnitentiam, nisi quam credat quod ille velit, & possit facere; alias ponit laqueum, & non antidotum, sed venenum: propter quod non tantam imponat, quam ille desperans totam dimittat, sive propter debilitatem bonæ voluntatis, sive corporis: parvus enim ignis, & scintilla una, non est onerandæ multis lignis, sed paulatim fovenda, ne extinguatur*. Siquidem, ut optime notat Gerson citatus a Layman *cap.* 15. *num.* 11. tutius est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verosimiliter impletur, mittere confessos ad Purgatorium, quam cum magna pœnitentia non implenda ad Infernum. Pro praxi etiam visum est insinuare pœnitentiam imponendam injusto homicidæ, juxta id quod scripsit Paulus Comitolus *in resp. mor. l.* 4. *q.* 11. *n.* 8. non quidem ut ea omnino, & non alia, imponenda sit, sed ut prudenti Confessario exemplar aliquod proponatur. Igitur citatus Auctor ait: *Homicidii pœnitentia salutaris esset veniam petere ab occisi propinquis, iisdem omnia damna resarcire, pro anima occisi per annum tria præstare*: I. *singulis hebdomadis unam Missam curare celebrandam, aliquam eleemosynam juxta homicidæ facultates pauperibus erogare, Litanias, vel Rosarium Virginis percurrere*:

II. *præ-*

II. *præterea per eumdem annum semel in hebdomada confiteri, semel in mense communicare*: III. *semper tota vita quotidie unum Pater & Ave genibus flexis pro eadem anima occisi recitare*. Hæc ille.

83. Demum explicando illam clausulam, *servatis servandis*, dicimus, dandam esse operam a Confessario, ut ante, & inter absolvendum servetur debita intentio, ordo, ritus, attentio, & repetitio formulæ, si necessitas exigat; nequaquam vero, si talem repetitionem necessitas non exigat. Ac proinde *Intentio* debet esse vel actualis, vel virtualis, faciendi quod Christus instituit, uti supra innuimus. *Ordo* autem consistit in hoc, ut Absolutio censurarum præmittatur Absolutioni a peccatis; nam pœnitens vel habet censuram excommunicationis majoris, vel censuram suspensionis, aut interdicti. Si primam, peccat Confessarius mortaliter, non præmittens Absolutionem ab hac Absolutioni a peccatis, ex Suarez *de cens. disp.* 10. *sect.* 2. Si secundam, rectius faciet Confessarius, absolvendo prius a suspensione &c. quam a peccatis; non tamen ullum peccatum saltem grave admittet, prius absolvendo a peccatis, ac deinde a suspensione &c. ex Gobato, aliisque. Quod si Confessarius oblitus fuerit præmittere Absolutionem ab excommunicatione, tenetur (si præditus sit ea potestate) illam dare, & subjicere Absolutioni a peccatis; non autem in tali casu tenetur repetere Absolutionem a peccatis: excommunicatio quippe non officit Absolutioni a peccatis, nisi quatenus excommunicatus recipit hanc in affectu peccati mortalis, ex Suarez *de Pœn. disp.* 31. non est autem pœnitens in affectu peccati mortalis, quando ignarus, se nondum esse restitutum communioni Ecclesiæ, petit, recipitque Absolutionem a peccatis. Atque hic notamus, plerumque in ordinariis Confessionibus sine culpa omitti Absolutionem a censuris ex eo, quod reflectendo ad conditiones necessarias incurrendæ re ipsa censuræ, rarissime a personis præsertim sæcularibus, & plebejis illæ incurrantur. In casu tamen, quo pœnitens eam incurrerit, & consequenter præmittenda sit ejus Absolutio, tunc, quando hæc Absolutio datur pro solo foro interno, sufficiet proferre ea verba: *Absolvo te a vinculo excommunicationis &c.* ex Rituali Romano; quando vero absolvendus est quis pro foro quoque externo, dicendum erit: *Dominus noster Jesus Christus, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, vel Reverendissimi Domini Episcopi mihi concessa &c.* prout extat in Rituali Romano *sub tit. de Sacr. Pœn.* & si quidem excommunicatio major absolvenda fuerit, præmittenda erit satisfactio parti læsæ, vel transactio cum eadem, *ex Cap.* 2. *de sent. excomm. in* 6. Porro hæc satisfactio consistit in eo, quod præstetur id, quod exigit justitia propter injuriam illatam, & in quantum fieri potest, servato juris ordine. Imo, si excommunicatio absolvenda incursa fuerit ob valde grave delictum, v. g. ob incendium, gravemque Clerici percussionem, necessario sub gravi culpa exigendum erit a pœnitente juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, idest de abstinendo in posterum ab ejusmodi crimine: quod juramentum, ut docet cum Avila, Coninchio, aliisque Castropalaus *de cens. disp.* 1. *punct.* 7. non est ex obligatione exigendum in Absolutione excommunicationis, alteriusque censuræ incursæ ob delicta leviora.

84. Ri-

84. *Ritus*. In absolvendo unusquisque recte procedet, inquit Gobatus, coram Deo, & hominibus, si observet morem notorium, & universalem suæ diœcesis: unde sicuti detecto capite Absolutionem dandam consuetudo rite præscribit alicubi, ita alibi peccati non damnandus, qui sine scandalo Absolutionem impertit tecto capite: curandum tamen quammaxime est, ut Ritualis Romani præscripto Confessarius quilibet se accommodet.

85. *Attentio*. In proferenda Absolutione Confessarium voluntarie distractum, etsi non improbabiliter excusent multi graves Auctores a peccato mortali, dummodo ille propter habitum proferendi ea verba sine defectu essentiali securus sit non errandi, non excusamus tamen a gravissimo peccato veniali.

86. *Repetitio formulæ*. Hæc siquidem facienda est, quoties rationabiliter dubitat Confessarius, utrum eam protulerit, necne? sub conditione tamen vel verbis, vel mente expressa, ex satis communi Doctorum. Hæc vero obligatio est sub gravi, si Confessio facta fuerit de mortalibus: non videtur tamen sub tanto onere, si Confessio fuerit de venialibus, aut mortalibus alias rite confessis. Dixi, quoties rationabiliter dubitat; nam sine dubio rationabili circa existentiam, aut valorem Absolutionis, est ex suo genere peccatum grave illam repetere respectu eorumdem omnino peccatorum in eadem Confessione: quæ assertio procedit etiam loquendo de Absolutione repetita sub conditione. Excusantur vero nonnulli in repetendo, ex eo quod non apprehendant vanitatem, & irrationabilitatem sui dubii, aut potius scrupuli; quæ sane irrationabilitas habetur, ut observat Gobatus, quando quis dubitat præcise ex eo, quod Absolutionem protulerit voluntarie, involuntarieve distractus, dummodo habitualiter sit solitus omnia essentialia proferre. Item contemnendum censemus scrupulum, quo aliquando quis angitur, ex eo quod, quando absolvit, nec confuse recordatur peccatorum, nec pœnitentiæ impositæ; siquidem tunc non est necessaria talis memoria, sed satis est recordari, pœnitentem esse confessum, & latum esse de eo judicium: at vero talis memoria, seu notitia status pœnitentis, saltem in confuso, erat necessaria ante impositionem pœnitentiæ. Dixi, saltem in confuso; quia non est opus habere tunc distinctam memoriam omnium auditorum. Notitia autem in confuso necessaria & sufficiens, stat in eo, ut Confessarius saltem meminerit, plura diversæ speciei mortalia esse dicta, eaque in numero satis frequenti &c. ex la Croix *num.* 1717. Quod si contingat, ut pœnitens post impertitam Absolutionem superaddat peccatum oblitum, tunc vel tale peccatum est certo, aut probabiliter, aut sub dubio mortale, vel est solum veniale? Si primum, repetenda est ex obligatione Absolutio, solum dicendo: *Absolvo te a peccatis tuis &c.* Si secundum, licite quidem repeti potest Absolutio, at probabiliter non semper necessario id fieri debet; quia non videtur esse semper intentionem pœnitentis velle ad id obligare Confessarium, adeoque per omissionem Absolutionis in tali casu, nec illi, nec Sacramento fiet injuria: imo, fortasse non improbabiliter, cum Sporerio docet la Croix *num.* 644. non solum id semper necessario faciendum non esse, sed nunquam faciendum esse; cum enim talis Absolutio necessaria non sit, videtur esse quædam irreverentia eam repe-

repetere: quæ quidem ſententia ad praxim reducenda erit relate ad ſcrupuloſos, aliquid ſemper novi, nec neceſſarii, ſuperaddentes poſt habitam Abſolutionem.

§. II.

De Confeſſario ut doctore.

87. CONfeſſarius ut doctor tenetur I. ipſe ſcire: II. pœnitentes docere: III. prudenter docere. Ac primo tenetur ipſe ſcire; nam, ut bene ait S. Bernardus *ſerm.* 18. *in Cant.* debet prius ipſe impleri, & ſic deinde effundere: quæ autem ſcire debeat, & ſub qua obligatione, ſupra jam diximus *num.* 58. Cum vero ſcientia tum de peccatis in genere, tum de peccatis habentibus onus reſtituendi, vel denunciandi, tum de peccatis habentibus reſervationem vel ſecundum ſe, vel ratione cenſuræ, ſit valde neceſſaria, hinc breviter de his aliquid huic paragrapho adſcribimus; ac proinde dicimus

88. I. Peccatum in genere eſt *exercitium poſitivum, vel negativum libertatis contra legem poſitam agenti rationali.* Clarius: *eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ita S. Thomas poſt S. Auguſtinum. Qua definitione etiam implicite deſcribitur peccatum omiſſionis; quia ſub dicto comprehenditur non dictum; ſub facto non factum &c. Aliud eſt mortale, aliud eſt veniale: quæ duo in hoc differunt inter ſe, quod veniale leviter adverſatur legi æternæ Dei, ac proinde pœnam æternam non meretur; mortale graviter adverſatur, ac proinde pœnas æternas inferni meretur. Utrumque tam mortale, quam veniale, dividitur in mortale, vel veniale ex genere ſuo, & in mortale, vel veniale per accidens. Mortale ex genere ſuo dicitur communiter ab Auctoribus id, quod graviter lædit charitatem Dei, vel proximi, vel ſui ipſius: at, cum id ipſum inquiratur, quidnam ſit graviter ex ſe lædens charitatem, propterea admittentes datam deſcriptionem ut veram quidem, ſed tamen ut inſufficientem, aſſerimus, mortale ex genere ſuo eſſe illud, quod ſemper eſt mortale manens intra ſuam ſpeciem, v. g. furtum, niſi vel ex indeliberatione, vel materiæ levitate excuſetur: veniale autem ex genere ſuo eſt illud, quod non poteſt fieri mortale, niſi addatur circumſtantia mutans ſpeciem, v. g. mendacium. Hinc mortale per accidens eſt, quando veniale tranſit in mortale ratione circumſtantiæ adjunctæ, mutantis ſpeciem: hæc vero circumſtantia quintuplex enumeratur a Sylveſtro, nempe circumſtantia finis, ſcandali, contemptus, periculi, conſcientiæ erroneæ, aut paratæ ad tranſgrediendum præceptum grave. Veniale per accidens eſt, quando mortale ex genere tranſit in veniale: hoc autem fit duobus modis, nempe ex indeliberatione, & ex parvitate materiæ, modo in eo genere peccati reperiatur parvitas (nam in odio Dei, infidelitate, perjurio, ſimonia, fractione ſigilli ſacramentalis, & re venerea, non datur parvitas). Dixi, ex indeliberatione, quæ provenire poteſt ex intellectu, & ex voluntate: nam ad peccandum graviter requiritur ex parte intellectus

I. quod

I. quod intellectus advertat malitiam moralem vel in actu, vel objecto, vel circumstantiis: II. quod ea advertentia sit in signo priori ad actum voluntatis, quamvis non semper sit causa physica, vel moralis illius: III. quod talis advertentia sit plena, & perfecta; quia peccatum mortale amicitiam Divinam cum dissolvat, & hominem æternis cruciatibus destinet, æquum non est, ob actum semiplena advertentia factum, hominem ita puniri, ex Sanchez *l. 1. in Decal.* aliisque. Hæc autem semiplena advertentia contingit, vel quando homo est semisopitus, semiebrius &c. vel quando homo licet sit compos sui, tamen sive ob distractionem, quia alia objecta simul cogitat, sive ob repentinam, & vehementem impressionem appetitus agnoscit revera malitiam gravem, sed obscure valde, & quasi rem valde distantem, ex Ulloa *disp. 4. de Anima num.* 20. Item requiritur ex parte voluntatis, quod voluntas amplectatur objectum malum toto, ut ita dicam, actu, & non subreptione quadam, adeoque imperfecte, uti fere accidit in motibus primo primis, & secundo primis. Quamvis vero nunquam certo exploratum esse possit, fueritne hic & nunc, vel non fuerit plena advertentia, tamen conjectura valde efficax habebitur ex communiter contingentibus, quod non fuerit, vel quod fuerit respective. Hinc, si aliquis sit timoratæ conscientiæ, peccatumque mortale communiter abhorreat, & evitet, præsumendus est non plene deliberate consensisse, quando ipse de consensu dubitat: secus autem dicendum, si aliquis sit perditis moribus, ex Sanchez, Castropalao, Bonacina, aliisque. Dixi etiam, ex parvitate materiæ. Parvitas vero, vel gravitas desumenda est ex triplici capite: I. ex re ipsa in se absolute spectata: II. ex comparatione ad totum: III. ex relatione ad finem, propter quem res præcipitur: cum hoc tamen discrimine, quod, quamvis primum, & secundum caput, aliæque circumstantiæ attendendæ sint, tamen ex tertio capite tota hæc conjectura principaliter desumi debet, ex Sanchez, Castropalao, Tamburino, aliisque. Exemplum habes ex Tamburino. Labor v.g. in die festo potest considerari I. an ex se absolute spectatus, sit modicum quid, vel magnum, non excedendo unam horam: II. an sit tale, comparatus cum labore totius diei: III. an sit tale, ut relatus ad finem vacandi Deo: scilicet an multum, vel parum noceat cultui Divino labor unius horæ: &, his consideratis, judicanda est parvitas, vel gravitas; & in casu dubio, an graviter res conducat ad finem, gravisque sit finis, præsumendum est, & esse finem gravem, & graviter ad illam rem conducere, ex Suarez, Castropalao, aliisque. Demum notamus, quod peccatum est numero unicum, si per unicum duret instans, & unico adversetur præcepto, & in unicum feratur objectum, ex Ulloa *in Tract. de act. hum.* Est vero numero multiplex, si per multa duret instantia: ex hoc tamen capite non multiplicantur peccata in ordine ad Confessionem, nisi detur interruptio moralis, consistens in eo, quod quis redeat ad idem, postquam voluntarie cessavit, aut efficaciter eum pœnituit peccati, aut talis detur interruptio physica, ut nonnisi nova advertentia & volitione, discernibilibus a prioribus, possit quis redire ad idem; sicuti contingit quando post peccatum quis dormit, & deinde redit ad

peccatum: vel si objectum materiale sit multiplex, & non ordinatum suapte natura ad unum & idem (ut de actionibus impuris antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus copulam dici solet), sed unumquodque est disparatum respectu alterius. Hinc I. unicà actione qui occideret duos homines, duplex peccatum committeret in ordine ad malitiam, & Confessionem, quamvis physice, & materialiter unum solum. Item peccatum est unicum specie, quando uni virtuti, nec eidem diversa ratione opponitur, ut infra: est multiplex specie, seu distinctum specie ab alio, quando opponitur diversæ virtuti, vel quando adeo diversa ratione, & malitia opponitur eidem virtuti, ut, quantum est ex natura, & ratione ejusdem peccati, non sit eadem facilitas, moraliter loquendo, in iis peccatis committendis, & qui propensus est ad unum eorum, non sit, attenta ratione ejus peccati, similiter propensus ad alterum. Hinc furtum, adulterium, homicidium &c. diversificantur specie inter se, quamvis eidem virtuti opponantur. Hinc II. merito ab Alexandro VII. damnata est hæc propositio *num. 24. Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem*. Hinc III. notandæ sunt circumstantiæ peccatorum: quarum aliæ sunt minuentes, ut si quis peccavit inductus; aliæ aggravantes intra eandem speciem, ut furtum in magna quantitate; aliæ mutantes speciem, & tales sunt, quæ transferunt peccatum ab habendo oppositionem cum una virtute ad habendam oppositionem etiam cum alia, vel cum eadem diversimode, seu extreme, v. g. circumstantia loci sacri, personæ, & similes, quæ comprehenduntur hoc versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*.

89. Memineris hic, quod nullus metus tollit voluntarium simpliciter, ex S. Thoma, cum communi Theologorum sententia 1. 2. *qu. 6. art. 6.* Unde fit 1. quod, si transgressio legis sit actio intrinsece mala, & ideo prohibita, quia mala, nullus metus excuset a peccato; nam quod est intrinsece malum, nullo casu fieri potest non malum, neque metus tollit totalem circa illud libertatem, adeoque non excusat. Fit 2. quod, si transgressio legis sit contra bonum commune, metus damni particularis non excusat; quia stat simpliciter libertas, & bonum commune prævalere debet particulari. Fit 3. quod, si transgressio legis non sit intrinsece mala, neque præjudicet bono communi, metus damni gravis excusare possit; quia, licet stet libertas, tamen legislator non censetur velle obligare cum tanto incommodo, ex la Croix *hic*.

90. Dicimus II. Peccata habentia annexum onus restituendi, ut plurimum sunt illa, quæ fiunt contra justitiam commutativam: inter quæ communiora sunt tria: 1. injustitia circa bona externa per furtum, & rapinam: 2. injustitia circa bona corporis, ut vitam, & membra, per homicidium, & mutilationem: 3. circa bonum famæ per detractionem. Restitutio autem late, & stricte accipi potest. Late sumpta, est quælibet redditio, solutio, & satisfactio: stricte sumpta, est redditio illius, quod per læsionem vel formaliter, vel saltem materialiter injustam, ablatum est. Obligatio restitutionis nascitur

ex

ex duplici capite, nempe ex re accepta, & ex injusta acceptione: quibus duplex diversa obligatio restitutionis correspondet: altera restituendi suo domino rem per actionem tantum materialiter injustam acceptam, vel retentam; altera compensandi omne damnum, quod per actionem formaliter injustam proximo causatum est. Qui tenetur restituere ex re accepta, debet restituere suo domino rem ipsam vel in re, si ea adhuc extat, vel, si ea non extet, in eo, in quo ipse ejus causa factus fuit locupletior: si vero nec vel res amplius existit, nec ex illa reperiatur factus locupletior, nihil restituere tenetur; non enim debet de proprio jure quidquam detrahere, ut jus alienum sine sua culpa læsum in integrum restituat. Qui autem tenetur restituere ex injusta acceptione, debet restituere rem ipsam, in qua proximum damnificavit, vel in se, si adhuc extat, vel in ejusdem justo pretio; item ejusdem rei fructus, non quidem mere industriales, sed naturales, aut mixtos, detractis expensis, vel in se, si existunt, vel eorumdem pretium; item lucrum cessans, vel damnum emergens, quod dominus ex carentia suæ rei, & fructuum passus fuit. Quicumque porro adstrictus est onere restitutionis, sive ex re accepta, sive ex injusta acceptione, tenetur restitutionem statim facere. Illud tamen statim, non debet sumi mathematice, sed moraliter; ita ut statim commodam quis restituendi opportunitatem sine dolo, aut fraude quærat, aut oblatam non respuat: & quidem restitutio, per se loquendo, illi facienda est, cui damnum fuit illatum, vel illi, ad quem creditum talis restitutionis de jure devenit. Quia vero sæpe contingit, ut rei alienæ verus dominus ignoretur, in tali casu vel res est debita ex delicto, v.g. furto, vel potius ex contractu, aut ex inventione fortuita? Si primum, restitutio facienda est pauperibus in ipsius domini spiritualem utilitatem, *ex Cap. Cum tu &c. de usuris*. Si secundum, probabile censemus cum Filliuccio *tract.* 32. *num.* 99. faciendam esse diligentem inquisitionem pro rei qualitate, ut dominus reperiatur, qui si, facta ea diligentia, non reperitur, nec superfit probabilis spes illum aliquando reperiendi, posse eam rem a possessore retineri, eamque in proprios usus converti.

91. Causæ excusantes a restitutione diversimode numerantur ab Auctoribus, & ab aliis plures, ab aliis assignantur pauciores. Breviter dico, alias esse causas, quæ omnino tollunt obligationem restitutionis, alias vero esse causas, quæ solum suspendunt ipsam obligationem restitutionis, ita ut restitutio ipsa differri licite possit, donec hujusmodi causæ removeantur. Et quidem primi generis sunt quatuor, nempe remissio debiti, compositio, compensatio, & legitima præscriptio. Secundi generis sunt tres: videlicet 1. impotentia, & quidem non solum physica, sed etiam moralis: 2. grave damnum, quod ex restitutione obvenire debet debitori: 3. damnum, quod ex ipsa restitutione secuturum prævidetur aut ipsi creditori, aut tertiæ alicui personæ. Circa causas primi generis notes, quod remissio non solum expressa, sed etiam tacita, quæ habetur, quando prudenter judicari potest, ac præsumi, partem læsam pro damno accepto nullam reparationem, aut restitutionem curare, sufficienter eximit debitorem ab obligatione restitutionis,

ex

ex Sanchez *in Conf. l.1. cap.4. dub.6.* Molina *tom.3. disp.68.* Card. de Lugo *disp.21. de just. sect.4.* debet autem adesse triplex circumstantia, ad hoc ut remissio sive expressa, sive tacita excuset. 1.Debet esse libera, non per metum, aut fraudem extorta. 2.Debet esse ab eo, qui potest condonare. 3.Non debet fieri in casibus a jure exceptis, qui tres sunt: primus nempe, quando Episcopus in visitatione reciperet aliquid ultra sumptus necessarios ad victum, *Cap. Exigit, de cens.* secundus, quando Judex delegatus aliquid reciperet a partibus præter esculenta, & poculenta, *Cap. Statutum §.Insuper, de rescr. in 6.* tertius, quando Inquisitores prætextu officii pecunias extorserint, *ex Clementin. de hæreticis in 6.* His accessit ex Tridentino *sess.24. cap.12. de reform.* casus de Canonicis, qui non adsunt Choro, & accipiunt distributiones. In his siquidem omnibus enumeratis circumstantiis non excusat remissio creditoris. Circa causas secundi generis notes, quod damnum grave, imminens debitori ex restitutione, esse potest vel in bonis ordinis superioris, ut famæ, vitæ, animæ, vel in ipsis bonis fortunæ: si sit in bonis ordinis superioris, valet regula tradita a Layman *cap.12. num.2.* nempe: *Bonum inferioris ordinis restituendum non est cum detrimento boni superioris in suo genere æque gravis*: si sit in bonis fortunæ, valet regula ex Bonacina *q. ult. p.1. num.19.* scilicet: *Debitor non potest differre restitutionem, quando damnum, quod patitur restituendo, est æquale damno, quod patitur creditor ex dilatione restitutionis.* In pari enim causa melior debet esse conditio creditoris innocentis.

92. Hæc quidem in genere de restitutione. In particulari vero dicimus I. pro facto homicidio, si occisus ante mortem non remiserit, nec ipse occisus provocaverit v.g. ad duellum, vel fuerit aggressor, & homicida non excesserit fines inculpatæ tutelæ, teneri homicidam restituere expensas factas in curatione vulneris ante mortem; deinde teneri resarcire quantum utilitatis erat hæredibus (iis tamen, qui censentur una persona cum defuncto, ut parentes, filii, uxor, non autem aliis) allatura vita occisi juxta moralem æstimationem faciendam a prudenti viro, detractis tamen expensis, quas ipse occisus consumpsisset in victu & vestitu. II.pro mutilatione teneri mutilatorem 1.ad expensas in curatione vulneris: 2. ad æstimationem spei illius lucri, quod mutilatus facere poterat detractis expensis: 3.ad æstimationem damni, quod ex hoc secutum fuit. III.pro stupro, si virgo libere consensit, stupratorem ad nihil teneri, juxta probabilem sententiam: si vi, fraude, aut dolo stuprator virginem ad peccatum induxit, teneri primo ad conjugium, si illud promisit; secundo ad reparationem damni ex stupro, quantum æstimabitur arbitrio boni viri; tertio ad dotem, si judex ad id eum condemnaverit: ubi censemus, quod si virgo consensit sub promissione matrimonii, non potest juste, ipsa invita, resarciri tale damnum alia via æquivalenti, sed debet resarciri per matrimonium, quia mulier decepta acquisivit jus ad matrimonium, ex S. Thoma *in 4. sent. dist.47. quæst. unic.* IV.pro fama, asserimus, quod qui per detractionem fuit alteri causa infamiæ, tenetur ad restitutionem famæ, quoties infamia non fuerit deleta, nec condonata, nec compensata, & ipse potest

poteſt talem reſtitutionem facere citra ſuum damnum majus. Detractio vero debet eſſe contra juſtitiam, ut talem obligationem pariat: eſt autem contra juſtitiam, quando violatur jus proximi ad famam, fundatum in eo, quod ejus defectus narratus a detractore, vel non ſit verus, vel ſit occultus: cum hac tamen differentia, quod carentia defectus dat proximo jus abſolutum, & univerſale, ne infametur; occultitas vero dat proximo jus, ne infametur abſque neceſſitate, qualis certe datur, ut conſilium, vel auxilium capias a viro prudenti, dummodo cum minimo peccatoris damno id fiat; item ut impedias majus damnum communitatis, vel privatæ perſonæ, vel ipſius peccatoris, & in aliis hujuſmodi caſibus videndis apud Layman *l.3. tract.3. part.2. cap.3.* Deficiente autem utroque titulo, nullum habet proximus jus, ne infametur: unde qui ſecus fecerit, peccabit fortaſſe aliquando contra charitatem, non autem contra juſtitiam; & conſequenter ad reſtitutionem non tenebitur. Reſtitutio famæ in caſu, quo eſt facienda, ſic fieri debet. I.Ut qui crimen falſum alicui ſcienter, vel per errorem impoſuit, id ipſum retractet aperte apud eos, quibus dixerat, & ad quos criminis infamia pervenit, ex Layman *ibidem*; quamvis qui per errorem, & bona fide alterum ita læſit in fama, non tam ſtricte ad id teneatur, ſicuti qui ſcienter, & culpabiliter id fecit. II.Ut qui crimen verum occultum injuſte prodidit, aboleat conceptam apud audientes criminis opinionem, quatenus fieri poteſt ſine mendacio, dicendo v. g. ſe male dixiſſe, injuriam intuliſſe, deceptum fuiſſe &c. ſiquidem in omni peccato vere eſt deceptio. Et, ſi hoc non ſufficiat ad reſarciendum damnum, tenebitur detractor aliam infamato æquivalentem famæ compenſationem facere, ut docet Layman *loc.cit.* contra Leſſium.

93. Dicimus III. Peccata habentia annexum onus denunciationis, ſunt plerumque, quæ fiunt contra Fidem, & Religionem. Hinc I.quilibet ſive mas, ſive mulier, ſive ſæcularis, ſive Monialis, aut alius quicumque Regularis, cujuſcumque gradus, & dignitatis ſit, tenetur denunciare hæreticum, alioſque recenſitos in Edictis Inquiſitorum, & in variis Pontificum Bullis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, etiamſi ipſe id probare non poſſit, ex decreto Alexandri VII. damnante hanc propoſitionem *num.5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis:* dummodo tamen ipſe ſciat, aliquem eſſe hæreticum, vel denunciandis criminibus obſtrictum, aut habeat de hoc indicia ſufficientia. Nomine autem denunciandorum per Bullas, & Edicta, memineris, non ſolum venire hæreticos, ſed etiam de hæreſi quomodocumque etiam leviter ſuſpectos, ex eodem Alexandri decreto; item venire ſuperſtitioſos. Ad hoc autem, ut ſuperſtitio onus denunciationis pariat, duo requirit: 1.ut adſit expreſſa, vel tacita dæmonis invocatio: 2. quod ſit mortaliter peccaminoſa, ex Lupo *part.3. lib.15. art.4.* apud Felicem Poteſtatem. Hæc porro denunciatio facienda eſt vel Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, intra ſpatium unius menſis, qui incipit a die ſcientiæ delicti; & quidem etiamſi ſciens delinquentem non corripuerit, vel emendatum cognoverit, vel inde timeat ſibi grave malum, vel etiamſi ipſum non denunciare juraverit, ex Bonacina *loc. cit.*

94. Hinc II. quilibet, prout ſupra, tenetur iiſdem denunciare Sacerdotem

tem sollicitantem, dummodo sollicitatio fuerit in Confessione; aut in Confessionario cum simulatione Confessionis, vel etiam sine tali simulatione, ut probabilius docet Diana *part.* 1. *tract.* 4. *res.* 18. cum aliis, contra Castropalaum, Lezzanam, aliosque: & in casu quo sollicitatio sit extra Confessionem, & Confessionarium; dummodo adsit Confessionis prætextus, vel occasio, vel simulatio, aut sit immediate ante, vel immediate post auditam Confessionem, ex Bulla Gregorii XV. Nomine autem sollicitationis (quæ sane est peccatum valde grave, & licet non sit reservatum in jure, adeoque possit a quolibet Confessario absolvi, dummodo Ordinarius illud sibi non reservaverit, tamen est tale, ut in eo Qualificatores S. Officii *anno* 1661. censuerint non dari parvitatem materiæ, & insuper reddat Confessarium sollicitantem suspectum de hæresi), nomine, inquam, sollicitationis venit *quicumque actus, vel locutio turpis, seu venerea, facta a Sacerdote cum alio quocumque sive mare, sive fœmina, in Confessione, vel Confessionario, cum simulatione Confessionis, vel sine ea, aut extra Confessionem, & Confessionarium, ex prætextu, occasione, vel simulatione Confessionis, aut immediate ante, vel post Confessionem*: unde est denunciandus ex decreto Alexandri VII. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, *ex prop. 6. damnata.* Et ex eodem Pontifice *prop.* 7. non est modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: siquidem hæc obligatio denunciandi sollicitantem, manifestanda est a quolibet Confessario suo pœnitenti sollicitato, etiamsi ab ipsomet sollicitatus fuerit; ita ut excommunicationem incurreret ille Confessarius, qui pœnitentem absolveret, absque eo quod onus denunciandi illi significaret, ex Bulla Gregorii XV. §. *Quod si hoc officium &c.* imo ex edicto supremæ Inquisitionis tenentur Episcopi injungere Confessariis observationem Bullæ Gregorianæ, quando eos primo approbant: quo ad Confessarios vero jam alias approbatos relinquitur arbitrio Episcopi facere hujusmodi intimationem. Si vero contingeret, ut pœnitens admonitus de sua obligatione, nollet eam exequi, non esset absolvendus, utpote indispositus; esset admonendus de excommunicatione incurrenda propter transgressionem præcepti tam gravis, & de peccato, quod toties committet, quoties potens denunciationem negligat: quibus monitionibus si obsurdescat, recurrendum erit ex charitate ad Episcopum, vel Inquisitorem, vel ad ipsam Sanctam Sedem pro opportuno remedio ejus animæ, servatis servandis. Videndus hic erit Pignatelli *tom.* 1. *consf.* 104. dans instructionem Confessariis pro recipiendis Monialium denunciationibus, siquando occurreret, ut id munus illis committeretur ab Inquisitoribus, vel a suprema Inquisitione. Videndus etiam Bened. XIV. in novissima Constitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*: adversus Confessarios sollicitantes, *tom.* 1. *ejus Bull. pag.* 50.

95. Quoniam vero supra diximus, scienda a Confessario peccata habentia annexam censuram, hæc in jure sunt plura, videnda apud Toletum *lib.* 1. *Summ.* Ex his vero potissimum scienda sunt a Confessario, tum quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, tum quæ in decreto Clementis VIII. tum quæ *in Can. Si quis suadente &c.* 17. *quæst.* 4.

96. In

96. In Bulla Cœnæ, quæ est decretum quoddam, quod Papa omni anno in die Cœnæ Domini renovat, & ex declaratione S. Pii V. antiquum durat usque ad promulgationem novi, habent annexam censuram reservatam Pontifici viginti casus, omnino videndi infra, vel apud citatum Toletum: qui casus hoc habent peculiare: 1. ut, si in Jubilæo, aut alias tradatur alicui facultas absolvendi a casibus reservatis Sedi Apostolicæ, non intelligatur data facultas ad hujusmodi casus Bullæ Cœnæ, nisi exprimantur: 2. ut neque ipsi Episcopi possint suos subditos ab his absolvere, etiam quando tales casus sunt occulti, ex decreto Alexandri VII. quod pariter ex Viva intelligendum est de Prælatis Regularibus relate ad suos subditos, qui certe *ex propositione 4. damnata ab Alexandro VII.* non possint in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter ipsam incursa: 3. ut hujusmodi casus sint Papæ reservati propter excommunicationem annexam; unde non incurret in his casibus reservationem, qui non incurret censuram annexam, ex Sanchez *in Dec. l. 2. c. 8.* 4. ut quilibet Confessarius teneatur sub gravi, ex præcepto S. Pii V. & Urbani VIII. transumptum hujus Bullæ apud se habere: quamvis, ex Mendo, sufficiat Religiosis, si transcriptum sit fixum in loco publico monasterii; & Sacerdotibus sæcularibus, si habeant aliquem Auctorem, qui eos casus recenseat: 5. demum ut qui sine speciali facultate absolveret ab his casibus, incideret in excommunicationem non reservatam; qui vero absolveret ab his prætextu privilegiorum, incideret in excommunicationem Papæ reservatam, ex decreto Clementis VIII. ut infra *Part. 3.*

97. In decreto Clementis VIII. edito *die 9. Januarii ann. 1601.* & per eumdem Pontificem moderato *26. Novembris 1602.* continentur, & reservantur Papæ intra Italiam extra Urbem subsequentes casus: 1. violatio clausuræ Monialium ad malum finem: 2. injicientes violentas manus in Clericum: 3. simonia realis scienter contracta: 4. confidentia beneficialis: 5. provocantes, & pugnantes in duello: 6. violatio immunitatis Ecclesiasticæ circa confugientes ad Ecclesias. Hi autem casus id habent peculiare, ut qui intra Italiam extra Urbem ab his absolveret prætextu privilegiorum &c. incideret in excommunicationem reservatam Papæ. Dixi, intra Italiam extra Urbem; nam sic statuerat decretum Clementis VIII. nunc vero ulterius attendendum ex decreto Clementis XI. edito *anno 1711.* non posse ab ullo Sacerdote non habente specialem facultatem absolvi in Urbe extra articulum mortis hos casus, nempe 1. casum publicum violatæ clausuræ Monialium ad malum finem: 2. Presbytericidium publicum: 3. casum publicum violatæ immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorii XIV. *Cum alias*, & etiam occultum, si violatio secuta fuerit auctoritate publica.

98. In Canone *Si quis suadente &c.* continetur excommunicatio lata contra Clerici percussorem: pro qua sciendum 1. quod, si percussio fuit levis simpliciter in omni ratione tum percussionis, tum injuriæ, non incurritur talis excommunicatio, ex Layman: 2. si percussio fuit levis solum comparative ad percussionem gravem, vel enormem, aut fuit levis in ratione per-

cussionis, non autem in ratione injuriæ, incurritur ea excommunicatio, nec potest ea a simplici Sacerdote Confessario absolvi; nam ex triplici genere percussionis, levis, gravis, enormis, enormis semper reservata est Sedi Apostolicæ; gravis reservata est etiam eidem Sedi, exceptis aliquibus casibus vidiendis apud eumdem Layman; levis, nempe comparative ad gravem &c. licet in jure reservata sit eidem Sedi, permissum tamen est, ut absolvatur ab Episcopo, *ex Cap. Pervenit &c. de sent. excomm.*

99. His prælibatis, altera obligatio Confessarii, ut doctoris, est docere pœnitentes tum quo ad ea, quæ spectant ad credere, tum quo ad ea, quæ spectant ad operari. Et primo quidem meminisse debet, damnatam esse ab Innocentio XI. hanc propositionem *num. 64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi*: ex qua damnatione infertur, graviter peccare eum Confessarium, qui advertenter absolveret pœnitentem nescientem sive culpabiliter, sive inculpabiliter, omnia mysteria Fidei, & qui etiam absolveret pœnitentem nescientem culpabiliter mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Unde quilibet Confessarius tenetur interrogare pœnitentem de articulis Fidei saltem principalioribus, quoties præsumit, ab eo nesciri (quæ sane præsumptio non ita frequenter cadit in urbanos, & cultos, frequenter tamen in rudes, & pueros): &, si per interrogationem reperiet, eum nescire, quæ scire tenetur, debet illum instruere ante Absolutionem, vel rejicere, donec ea didicerit, ex Bonacina. Quod si nec tempus suppetat eum instruendi, nec expediat rejicere, tunc illum instruat quo ad ea, quæ explicite credenda sunt de necessitate medii, nempe Deum esse, & remuneratorem esse, unum, & trinum esse, & hominem factum esse: nam probabilius est, etiam mysteria Trinitatis, & Incarnationis credenda esse explicite de necessitate medii: imo probabile est, saltem ex fundamento extrinseco Sanchez, aliorumque, eadem necessitate credenda esse explicite mysteria Nativitatis Christi, Passionis, Mortis, & Resurrectionis: unde hujus etiam sententiæ habenda est ratio a Confessario: deinde vero quo ad alia mysteria satis erit, ut pœnitens promittat, ac proponat ea discere quamprimum, & interim doleat de præterita negligentia, culpaque admissa in iis non addiscendis. Hujusmodi autem mysteria, sunt cætera omnia, quæ in Apostolico Symbolo continentur: hæc siquidem probabilius, ex Castropalao, Coninchо, aliisque, explicite credenda sunt de præcepto, non vero de necessitate medii. Quod si fingatur casus, pœnitentem ita esse rudem, hebetem, & incultum, ut nullis prorsus etiam sæpius repetitis explicationibus aliquam de his mysteriis propriam notionem formare queat, tunc iste talis erit, saltem in articulo mortis, absolvendus sub conditione; quia, ut bene notat Tannerus apud Gobatum *tract. 7. cas. 7. num. 311.* qui sunt adeo hebeti ingenio, sunt quo ad hanc rem annumerandi fatuis, & infantibus: non enim credibile est, quod Deus a quoquam exigat majorem horum mysteriorum notitiam, quam per vim intellectus consequi potest: pueri autem, & perpetuo fatui, possunt sine fide

actuali

actuali justificari. Verum hic casus videtur ferme metaphysicus; nam difficillimum est, & vix continget, ut homo, sui compos, Dei adjuvante gratia, & adhibita proportionata diligentia, nequeat percipere juxta suam obligationem, & credere, prout oportet, hæc mysteria: siquidem scientia horum mysteriorum ea est requisita, & sufficiens, qua cognoscuntur hæc mysteria secundum eorum substantiam, & quantum ex verbis Symboli sic propositi eadem percipi possunt: v. g. de mysterio Trinitatis sufficit Fideli, ut tali, si sciat, & credat, esse tres Personas inter se distinctas, quarum quælibet sit Deus, nec obinde esse plures Deos, sed unum tantum: clarior autem notitia nemini Fideli, quatenus præcise talis est, necessaria est. Ita Castropalaus *de Fide disp.* 1. *p.* 11. aliique.

100. Quo ad operari instruendus etiam pœnitens a Confessario; quia ipse vel est Pastor, vel tenet locum Pastoris ex ejus delegatione: ad Pastorem autem pertinet docere subditos, quæ necessaria sunt ad servandam legem Dei. Propterea duplex in pœnitente ignorantia esse cum possit, altera vincibilis, altera invincibilis; vincibilis autem sit, quæ libere habetur, nempe quia homo potuit scire veritatem, advertit obligationem sciendi, & noluit, adeoque ipsa non excusat a peccato; invincibilis vero sit, quæ non habetur libere, nempe quia homo vel non habet modum assequendi veritatem alicujus rei, vel, si hunc habet, non tamen illi occurrit dubium, suspicio, aut formido prudens circa talem rem, vel, si occurrat, non tamen circa obligationem inquirendi veritatem rei, adeoque ipsa excusat a peccato: hinc dicendum nobis est 1. Quoties in pœnitente ignorantia est vincibilis, debet ea a Confessario auferri, ex de Lugo, aliisque; quia, ea dum perseverat, pœnitens est indispositus ad Absolutionem, nec per eam ignorantiam vitatur, sed causatur peccatum. 2. Quoties in pœnitente ignorantia est invincibilis, tunc distinguendum est: vel enim talis ignorantia est hic & nunc per accidens proficua pœnitenti, ex eo quod per ejusdem ablationem gravius malum illi eveniret, remedium dandum esset difficillimum &c. vel talis ignorantia non est, neque per accidens proficua pœnitenti. Si hoc secundum, debet ea a Confessario auferri, & sic debent edoceri pœnitentes, per errorem putantes, se graviter peccare, si jentaculum fecerint ante auditionem Missæ, si die Veneris a lacticiniis non abstinuerint &c. Si vero illud primum, ea non debet a Confessario auferri, nisi interrogetur, sed dissimulandum illi est, ex de Lugo, Sanchez, Layman, aliisque: & ratio desumitur a S. Augustino *homil.* 41. *inter* 50. ubi ait: *Si scirem, tibi non prodesse, te non monerem, non te terrerem*. Dixi, nisi interrogetur; nam Confessarius interrogatus tenetur veritatem aperire: licet enim aliquando propter bonum pœnitentis debeat tacere, vel dissimulare, nunquam tamen potest mentiri, aut suo dicto pœnitentem in errore confirmare, ex Suarez *disp.* 32. *sect.* 4. *de Pœn.* confirmaret autem, si pœnitenti interroganti non responderet, nisi taliter se gereret, v. g. fingendo, se non audivisse interrogationem, ut pœnitens remaneret quidem in sua bona fide, non autem Confessarii auctoritate confirmata, ex de Lugo. In casu vero responsionis curandum est Confessario, ut non

T 2 plus

plus respondeat, quam a pœnitente interrogetur: v. g. si aliquis obstrictus voto simplici castitatis interroget, an possit reddere debitum, respondeatur *ita*, sed non addatur, eum non posse petere, quando non speratur utilitas.

101. Doctrina in hoc numero tradita triplicem habet limitationem. Limitatur enim 1. quando pœnitentis ignorantia redundat in malum communitatis, vel contra Fidem; tunc enim ignorantia invincibilis auferenda est a pœnitente, etiam cum ejusdem detrimento; quia bonum publicum, & bonum Fidei, præponderat bono privato pœnitentis. Limitatur 2. ut non procedat, quando licet de præsenti monitio habitura non sit effectum, brevi tamen fructus uberrimus inde derivabitur. Limitatur 3. ut probabiliter non procedat, quando ignorantia pœnitentis invincibilis cedit in damnum tertii: quamvis non minus probabiliter graves Auctores, ut Sanchez, de Lugo *disp.* 22. *sect.* 2. censeant, procedere etiam in hoc casu, si quidem detur eadem ratio non sperandi profectum, & nocendi pœnitenti. In dubio porro, an edocere pœnitentem, futurum sit illi utile, necne? comparanda est utilitas dubia cum damno dubio, & quod præponderat, praxim instituet: quod si dubitetur de utilitate, nullum autem timeatur damnum, certum est, pœnitentem deberi edoceri, ex de Lugo *loc. cit.*

102. Tertia obligatio Confessarii, ut doctoris, est prudenter docere, idest recte doctrinam supra datam applicare casibus particularibus: pro quo exemplum adduco de Matrimonio. Si aliquis pœnitens ignoret invincibiliter, se habere impedimentum dirimens, tunc vel agitur de Matrimonio contracto, vel de contrahendo? Si de contrahendo, & sit aliqua spes persuadendi pœnitenti, ut ab eo ineundo absistat, vel dispensationem impetret, regulariter non est dissimulandum, sed veritas aperienda, ex Layman *de Pœn. cap.* 13. & Sanchez *l.* 2. *de Matrim. disp.* 38. Si vero agitur de Matrimonio jam contracto, aut de obligatione non petendi debitum, tunc Confessarius debet veritatem aperire, si ipse possit dispensare, aut alio modo facile remedium adhibere. Non debet vero rem aperire, sed dissimulare, si ipse non possit dispensare, nec remedio locus sit, vel sit quidem, sed cum gravissimo incommodo vel ipsius pœnitentis, vel alterius, v. g. prolis, ex Sanchez *l.* 2. *disp.* 38. *de Matr. num.* 10. In casu autem, quo Confessarius dissimulare potest, aut debet, censemus cum Castropalao, posse Confessarium consulere omnem eam actionem, quam, stante ea ignorantia invincibili, pœnitens non potest sine peccato omittere: unde posset Confessarius injungere redditionem debiti illi, qui ex ignorantia invincibili & dissimulanda est in Matrimonio invalido.

§. III.

De Confessario ut medico.

103. Confessarius, ut medicus, triplicem pariter obligationem habet: nempe 1. scire tenetur remedia cuique vitio & peccato adhibenda, saltem potiora, & universaliora; ac præterea regulas communes, & gene-

generales, quibus excusari quis potest a peccato, ex Filliuccio: 2. præscribere pœnitenti remedia, quibus ille in posterum vel non amplius cadat, vel rarius cadat; ita ut graviter delinqueret Confessarius, teste Gobato, si negligens hac in re notabiliter fuerit: ubi limites cum Lonher, nisi prudenter præsumere possit, ipsummet pœnitentem hac in parte officio suo satisfacturum, & apta remedia sibimet applicaturum: demum 3. præscribere remedia opportuna, aptaque tum relate ad tempus, tum ad personas; unde non omnes eadem methodo curandi, nec omnibus idem applicandum: ac propterea optime censet Lessius, contrariarum opinionum practice probabilium cognitionem esse commodissimam, & fere necessariam conscientiæ foro. Ad hanc etiam præscribendi opportunitatem & aptitudinem pertinet, ut remedia non semper præscribantur per modum pœnitentiæ ex obligatione adhibenda, sed aliquando dumtaxat innuantur, & proponantur per modum consilii, ut eorum aliquod pœnitens sponte sibi assumat: imo sapienter monet Filliuccius, regulariter non esse pœnitenti remedia injungenda ex obligatione, nisi habito prius suaviter consensu pœnitentis; quia alioquin potius oberunt, quam proderunt.

104. Porro remedia optima pro unoquoque peccatorum genere curando cum exposuerit in suis aureis libellis Segneri *in Confess. instruct.* Polancus *in Directorio Confessionis*, & Lonher *in Instruct. pract.* non est, cur eadem referam, & exscribam; facile enim ab unoquoque in iisdem videri possunt. Unde id dumtaxat præstabo, ut 1. de aliquibus remediis in particulari aliqua præmoneam; deinde ut particularium aliquorum peccatorum curationem ab iis Auctoribus omissam exponam. Et 1. circa remedium dilationis Absolutionis, quod aliquando, ut alibi dixi, est necessarium, aliquando expediens, præmoneo cum Francolino *in disc. pœn.* esse illud adhibendum cum grano salis, & regulariter non cum illis, qui aut rarius post Confessionem lapsi sunt, aut conantur non labi; aut, ubi ea necessaria non est, ægerrime ferunt hanc dilationem, futuram proinde ipsis perniciosam, adeoque disponendi a Confessario, & non rejiciendi; aut præbent majora signa doloris, & propositi, magnamque spem faciunt futuræ emendationis; aut aliis modis, seu remediis de præsenti curari, & satis disponi possunt; siquidem hoc remedium valde anceps est, & plerique rejecti, vel dimissi, amorem Sacramentorum, suæque salutis veluti desperantes amittunt. Præmoneo 2. expediens aliquando esse, non differre, sed minari dilationem Absolutionis verbis suavibus simul & gravibus, & pœnitenti deprecanti tantam pœnam, simulque iterum atque iterum promittenti, cedere tandem, & post multas preces disposito optatam Absolutionem impendere, sed edicere, eam omnino fore ultimam, nisi vere emendetur; ac interim præcipere, ut, si possit, post octo, vel quindecim dies redeat ad significandum statum animæ suæ, vel saltem ad id eum hortari. Præmoneo 3. quando judicatur omnino differendam Absolutionem, tunc hæc duo a Confessario facienda: primo verbis adeo blandis, adeo charitate plenis id agere, ut pœnitens intelligat, ex solo amore sui id fieri, & ex necessitate Divini præcepti: secundo differre ad breve tempus, non ad lon-

longum, v-g. per aliquam hebdomadam; quo tempore elapso redux pœnitens amantissime excipiendus erit, & quamvis non integram emendationem afferat, sed aliquam tantum, absolvendus, ut iterum redeat magis emendatus.

105. Circa remedium correctionis, seu reprehensionis, præmoneo, quod, quamvis hæc aliquando adhibenda sit (nam, juxta sacrum eloquium *Prov.* 10. *qui increpationes relinquit, errat*), abstinendum tamen ab ea est, sicuti & ab omni signo indignationis, admirationis, & impatientiæ, donec pœnitens omnem prorsus suam conscientiam explicuerit: tunc autem usurpanda erit doctrina Polanci, scilicet ut verba accommodentur indoli, & dispositioni pœnitentis: adeoque reprehensio durior adhibenda est cum agrestibus ingeniis, ne contemnant; sapientiores vero, & in dignitate eminentiores, blande & cum dexteritate reprehendendi sunt: nunquam autem conviciis afficiendus est ullus pœnitens; peccare enim mortaliter in hoc posset Confessarius, ut bene notat Gobatus, siquidem convicia reddunt Confessionem valde odiosam.

106. Circa usum opinionum, & sententiarum, præmoneo cum Lessio, non debere Confessarium uti laxioribus, etsi probabilibus, nisi quando alius animas juvandi modus non superfit: adeoque, ex Gobato, non sunt imitandi illi, qui ex proposito sectantur eas opiniones benignas, quæ habentur quidem a magnis viris probabiles, tamen ab aliis etiam gravibus viris putantur improbabiles; sicuti nec imitandi, qui absque gravi & peculiari causa insistunt opinionibus singularibus, hinc enim facile scandalum enascitur, & in re morali, ut optime notat de Lugo, non facile a communi recedendum. Censemus autem, non reprehendendos esse eos Confessarios, qui regulariter sententias ferunt conformiter ad opiniones, non quidem laxas, sed benigniores indubitanter apud omnes, vel fere omnes solide probabiles, dummodo non agatur de validitate Sacramentorum &c. nec sint aliquo modo repugnantes juri tertii, receptæ consuetudini, & stylo loci. Siquidem recte monet Honorius Papa, relatus *in Cap. fin. de transact.* in his, *in quibus jus non invenitur expressum, procedas* (æquitate servata) *in humaniorem partem declinando semper, secundum quod personas, & causas, & loca, & tempora postulare videris.* Universim autem in hoc Sacramento administrando meminisse debet Confessarius, majus peccatum esse delinquere ex nimio rigore, quam ex nimia benignitate, & juxta communem doctrinam Patrum, *tutius esse rationem reddere de misericordia, quam de severitate justitiæ.* Demum meminisse etiam debet, se aliquando posse, aliquando etiam teneri accommodare se se opinioni solide probabili sui pœnitentis, ex Layman, aliisque.

107. Cum vero ferme fiat, ut Confessarii angantur circa remedium, & curationem eorum 1. qui imprecationibus contra alios sunt dediti; 2. qui alios resalutare recusant; 3. qui mollitiei peccato sunt obnoxii: idcirco quo ad imprecantes aliis malum, sciat Confessarius, tale peccatum esse quidem ex genere suo grave, nec fieri leve, nisi vel ex indeliberatione, vel ex levitate mali, quod proximo quis imprecatur: tamen communiter asseri a Theologis

logis moralibus, frequentissime hoc peccatum fieri vel indeliberate, vel saltem ex non plena deliberatione, adeoque frequentissime esse per accidens peccatum leve: quia tamen aliquando etiam fit deliberate, idcirco ad hoc dignoscendum placet regula assignata ab Escobar, scilicet plene deliberate plerumque illud fieri, & sic præsumendum, quando imprecationes prodeunt ex inimicitiæ affectu, v. g. ex eo quod quis injuste ab alio accusatus fuerit, vel fuerit percussus &c. cum autem in amicos eæ proferuntur, plerumque proferri sine plena deliberatione volendi tale malum proximo, sed solum ex perturbatione quadam, impatientia &c. & sic præsumendum. Proderit vero ad hoc vitium extirpandum in primis admonere pœnitentem, quod maledictum frustra prolatum in quempiam, superveniet ei, qui protulit illud, *Prov.* 16. deinde præcipere eidem pœnitenti, ut Deo se commendet, & quando in eo defectu lapsus fuerit, aliquam voluntarie subeat corporis afflictationem, aliquam eleemosynam elargiatur &c. Quo ad resalutare nolentes, sciat 1. Confessarius, neminem, per se loquendo, teneri salutare inimicum, ex Suarez *disp.* 5. *de char. sect.* 5. per accidens vero teneri aliquando, v. g. si quis fuit offensor, si antea solitus erat eum salutare, si cæteros omnes cum inimico coexistentes salutet, si ex circumstantiis alii colligant, salutationem omitti propter injuriam acceptam &c. Limites, nisi quis adeo infamem accepisset injuriam, ut ejus æstimatio petat austeriorem vultum; quia tunc omissio salutationis, inquit Hurtadus apud Dianam, censetur esse, non ex odio, sed ex justo dolore. Limites etiam, nisi cognita sit probata virtus alicujus, rixa, ejusque causa, ita ut ea omissio salutationis judicetur provenire ex levi quadam passione, & perturbatione, non autem ex odio, nec apta sit odium in altero causare. Sciat 2. quemlibet, per se loquendo, teneri resalutare inimicum salutantem, & quidem sub gravi, ex Suarez: per accidens excusari, si salutans sit valde inferioris conditionis, vel eæ sint circumstantiæ, ut odii indicium non sit. Hinc 1. Confessarius debet injungere in casibus dictis, non in aliis, salutationem: quam tamen injungere non auderem, si pœnitens esset moraliter certus, inimicum cum debita resalutatione non responsurum; quia sic exponeret se periculo gravius invehendi in ipsum inimicum, & fierent pejora prioribus. Hinc 2. non facile credet eis, qui dicunt: *ego illi ignosco, sed salutare nolo, vel nolo amplius adire domum ejus*; quia, quando non habet pœnitens aliam causam non salutandi, vel non adeundi ejus domum, quam injuriam acceptam, tunc ex Gobato adest morale signum latentis rancoris. Quo ad obnoxios peccato mollitiei, sciat Confessarius, hos esse difficillimæ curationis, ex Toleto *l.* 5. *c.* 13. *Sum.* unde idem Cardinalis censet, vix aliud esse magis efficax remedium, quam frequentem Confessionem cum uno eodemque Confessario, ita ut hæc fiat ter in hebdomada, si fieri potest. Quod si hoc fieri nequeat, saltem singulis mensibus pœnitens sacra Confessione se expiet. Aliquando etiam proderit explorare, ad quem Sanctum, vel ad quod mysterium vitæ Christi pœnitens magis afficiatur, ac deinde injungere illi usque ad certum tempus, v. g. usque ad sequentem Confessionem, ut mane, & vespere flexis genibus sic oret: *Deus, qui flammas æternas*

nas

nas præparasti omnibus libidinosis, statuo coram te, ac propono in honorem hujus amantissimi Patroni mei, & Passionis Christi, me hac die, hac nocte abstenturum ab omni turpitudine. Certe Gobatus, Sporerius, & Drexellius *in Nicæta* testantur, hoc remedium multis profuisse. Cum nonnullis remedium esse poterit, ut quotidie per aliquod temporis spatium vacent alicui piæ meditationi vel de pœnis inferni, vel de Paradiso, vel de Passione Domini. Singulis vero injungendum, ut, quoties urget tentatio, eliciant actum Fidei de præsentia Dei, & meminerint, se esse in conspectu sui Judicis: item ut custodiant sensus suos, & præcipue oculos, abstinendo se ab omni aspectu periculoso; facilius enim hoc incendium antevertitur, quam avertitur. Demum moneat Confessarius, ut pœnitens, si iterum labatur, redeat quamprimum ad Confessionem, imo statim post lapsum sponte subeat aliquam corporis afflictationem, vel recitet flexis genibus Psalmum *Miserere*, vel sequenti die jejunet, vel flagellis se cædat &c. Illud vero maxime commendet, ut ille otium fugiat, & honestis incumbat exercitationibus; *multam enim malitiam docuit otiositas, Eccl.33.* at e contra, ut docet S. Augustinus *lib. de decem chordis, mente in spiritualia suspensa, atque ibi fixa manente, carnalis concupiscentiæ impetus frangitur, paulatimque compressus extinguitur*.

108. Obiter placet subjungere remedium, quod non raro potest Confessarius adhibere suo pœnitenti per recursum ad sacram Pœnitentiariam, quando ipsum invenerit irretitum censuris, irregularitatibus, impedimentis votorum, & matrimonii, aliisque hujusmodi casibus. Itaque breviter dicam 1.quid sit sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ: 2.quomodo ad ipsam recurrendum: 3.quis possit aperire, & exequi litteras sacræ Pœnitentiariæ: 4.quæ, & quot sint observanda ab executore harum litterarum.

109. Et sane quo ad primum, sacra Pœnitentiaria est Tribunal Romæ constitutum a Summo Pontifice, cui præsidet unus ex sapientioribus ac magis piis Cardinalibus, qui tanquam Summi Pontificis Vicarius & delegatus excipit, audit vel præsentialiter, vel per supplices libellos, pœnitentes ad Pontificem ex toto Orbe recurrentes. Ita ex Clericato *de Pœn. dec.*48. Hoc autem Tribunal rehabilitat, condonat, dispensat pro foro tantum interno, idest in foro tantum conscientiæ, uti explicat la Croix *l.6. p.3.num.*952. & quidem in omni impedimento matrimonii occulto juris tantum Ecclesiastici, etiam quando agitur de contrahendo matrimonio, excepto impedimento consanguinitatis, nam quo ad hoc tantum dispensat, quando agitur de matrimonio jam contracto, dummodo consanguinitas sit extra primum, & secundum gradum: unde dispensat etiam in primo gradu affinitatis, etiam ex copula licita, etiam pro matrimonio contrahendo, ex Krimer *num.*2304. Potest vero ad tam pium Tribunal recurri etiam propter duos casus publicos non matrimoniales: quales sunt 1.si quis publice manus violentas sive percutiendo, sive occidendo, injecerit in Clericum: 2.si quis pugnavit, vel astitit quomodolibet complex in publico duello, ex Tiburtio Navarro *p.*3. *cap.*1. Imo ex eodem *p.*4. hoc Tribunal habet facultatem quo ad Regulares, & volentes ingredi Religionem, si accedat consensus, & supplicatio superiorum Regularium, absolven-

vendi, & dispensandi in multis etiam pro utroque foro, etiam in factis publicis.

110. Quo ad secundum, si forte Confessario obveniat occasio recurrendi ad sacram Pœnitentiariam, v.g. in causis matrimonialibus, observet primo diligenter, an revera adsit impedimentum matrimonii: ubi meminerit, quod in dubio, an matrimonium publice contractum, & in opinione vulgi subsistens, valeat, censendum est, valere, juxta ea quæ disserit Sanchez *l.2. de matr. disp.*41. sicuti etiam meminerit, quod non potest Confessarius propter ullum licet evidens matrimonii impedimentum, quando illud sit publice contractum, & in opinione vulgi validum, etsi re ipsa invalidum, dirimere, & conjuges quo ad habitationem (quo ad torum enim ultro se ipsos re cognita dividere tenentur) separare; hoc enim Judicis Ecclesiastici publicæ sententiæ, ob vitandum scandalum, relinquendum est, ex Tannero *tom.4. d.9. qu.9. num.*169. Deinde observet, an tale impedimentum sit occultum: tale autem erit, quod a nemine, vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque manifestum, neque notorium facti, vel juris, ex Tiburtio *cap.3. Introd.* Postremo observet, an agatur de contracto matrimonio, vel de contrahendo, & quæ causæ allegentur pro dispensatione obtinenda: habita vero rei totius notitia, scribat casum in charta quocumque charactere, dummodo legi possit, & quacumque lingua sive Latina, sive vernacula, tacito nomine, & cognomine pœnitentis, & casum sic scriptum dirigat per communem tabellarium Romam cum hac epigraphe: *Eminentissimo ac Reverendissimo D. Cardinali Majori Pœnitentiario*. Significet tamen ad calcem epistolæ, qua via per postam respondendum sit; unde addat: *Dignetur E. V. rescribere N. N. in Civitatem N. N. pro oppido N. N.* Et quidem, si in tali oppido non sit Confessarius Doctor in jure Canonico, vel Magister in sacra Theologia, aut, si adsit, pœnitens non de facili suam conscientiam ipsi aperire velit, eo quod alteri jam aperuerit, hoc ipsum significetur in litteris directis Majori Pœnitentiario. Demum varias scribendi formulas sive pro dispensationibus matrimonialibus, sive pro votorum commutatione &c. videre poterit industrius Confessarius apud Felicem Potestatem, apud Tiburtium Navarrum &c.

111. Quo ad tertium, litteræ sacræ Pœnitentiariæ solent dari cum triplici diversa inscriptione; quarum prima est: *Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium eligendo*: altera est: *Discreto viro Confessori &c. Doctori Sacrorum Canonum &c.* tertia demum, & usualis est: *Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario &c.* Jam vero, si litteræ habeant primam inscriptionem, eas aperire potest, & executioni demandare quilibet Confessarius approbatus sive sæcularis, sive Regularis, etiamsi nullo insignitus sit gradu, dummodo fuerit ad id electus a pœnitente: si habeant secundam inscriptionem, eas aperire potest de jure solus ille Confessor approbatus, qui Doctoratum in jure Canonico obtinuit in aliqua publica Universitate: si vero habeant tertiam inscriptionem, eas de jure aperire potest Confessor, qui disjunctive sit vel Do-

ctor in Jure Canonico, vel Doctor in sacra Theologia; & quidem ita stricte hoc intelligendum, ut quamvis gradus Licentiati in sacra Theologia, vel Jure Canonico, etiam ex mente Tridentini *seff.22. cap.2. de refor.* sufficiat ad Episcopatum, tamen non sufficiat ad talem effectum, sicuti nec sufficit publice Theologiam profiteri, nec Magistri nomen, ut moris est in aliquibus Religionibus, portare, sed requiritur verus Doctoratus, ex Tiburtio *lib.1. cap.2.* Dixi, de jure; nam ex privilegio aliqui Religiosi possunt in certis circumstantiis aperire eas litteras, etiamsi Doctoratus laurea ornati non sint: quales sunt Religiosi e Societate Jesu, habita ad id facultate a P. Generali, vel singulis vicibus a Superiore locali, ex privilegio Gregorii XIII. Notes vero; quod Confessor eligendus debet esse approbatus ab Ordinario, in cujus diœcesi debet fieri earumdem litterarum executio, & quod sit ex approbatis actu, idest quod non fuerit elapsum tempus approbationis ipsius, ex Tiburtio *cap.2.*

112. Quo ad quartum, tria observanda sunt ab exequente tales litteras, idest inquirere, injungere, & monere. Debet igitur inquirere, an revera præmissa, seu exposita, sint occulta, & an preces oratoris veritate nitantur; scilicet an causa finalis, propter quam petitur, & ob quam tantum conceditur gratia, & sine qua non concederetur, eo modo quo exponitur, verificetur: deinde injungere ea, quæ in litteris præcipiuntur injungi pœnitenti; ubi animadvertas, quod, quando in litteris præcipitur pœnitentia injungenda pro delicto, ea servanda est quo ad substantiam; sed quo ad quantitatem est locus discretioni, ita ut Confessarius possit eam temperare juxta pœnitentis sexum, complexionem, ætatem &c. ex eodem Tiburtio *ibid.* postremo monere: scilicet, quando Confessarius viderit, vera esse, quæ sunt exposita, & pœnitentem paratum ad præstanda ea, quæ in litteris sunt injuncta modo jam dicto, moneat illum, ut se ad Confessionem disponat (in sacramentali enim Confessione facienda est executio talium litterarum, ita ut, si fieret extra Confessionem, non esset valida executio, ex Tiburtio *cit.cap.2.*), audiat illum confitentem, &, præstitis iis, quæ præstare debet Confessarius, impertiat vel dispensationem, vel Absolutionem a censura &c. prout conceditur in litteris; monens pœnitentem de effectu sive Absolutionis, sive dispensationis, sive cujuscumque alterius gratiæ, quam in vim prædictarum litterarum ei impertitur; ac ipse meminerit litteras, seu rescriptum laniare: per laniationem autem intellige omnem illam corruptionem litterarum, per quam fiat, ut eæ non possint esse usui pro foro externo, ex Gobato *tract.5. cap.37.*

CA-

CAPUT III.

De obligationibus subsequentibus actum excipiendi Confessionem sacramentalem.

113. POst auditam sacramentalem Confessionem, prima obligatio Confessarii est inviolabiliter servare sigillum: secunda emendare quidquid forte erroris occurrerit in Sacramenti administratione: tertia curare oblivisci omnium auditorum in Confessione, molesteque allatrantes species pertransilire.

§. I.

De Sigillo sacramentali.

114. SIgillum Confessionis est *obligatio servandi sub strictissimo & perpetuo secreto ea, quæ audita sunt in Confessione sacramentali*: diciturque sigillum, deducta metaphora ex sigillo litterarum; nam, sicuti durante sigillo in litteris, eæ non possunt nec legi, nec aperiri, ita, stante sigillo Confessionis, non possunt manifestari audita in Confessione. Primo igitur sigillum dicitur *obligatio*, non qualiscumque, sed tanta, ut in nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro servanda tota republica ab quovis gravi malo sive spirituali, sive temporali, liceat violare tale secretum, ex communi. Et quamvis graviter controvertatur inter Auctores, ex quo capite dimanet hæc tanta & tam gravis obligatio, dicendum cum Suarez censemus, hanc obligationem oriri ex injuria, quæ fieret Sacramento, si aliquando revelaretur hoc secretum: injuria autem consistit in hoc, quod Sacramentum redderetur odiosum; unde peccatum violationis sigilli est contra religionem. Cum vero etiam ex aliis capitibus, v. g. justitiæ, & fidelitatis, Confessarius commissa sibi secreto servare teneatur, ex his etiam capitibus oritur quo ad illum obligatio tacendi, quamvis, præcise per hæc, non ita graviter obligetur, ut in nullo casu cessare posset ejus obligatio. Dicitur secundo, *strictissimo secreto*; nam hoc secretum non potest aperiri, nisi de licentia, & facultate pœnitentis: quæ licentia debet esse expressa, & formalis, nec sufficit præsumpta, imo debet esse spontanea, & libera; non esset autem spontanea, & libera, si vi, dolo, aut metu reverentiali extorqueretur: nec immerito censet Diana, quod esset exposita periculo invaliditatis, si esset solum data ad petitionem Confessarii. Indubitatum autem est, quod data, est ad libitum pœnitentis revocabilis, eamque ipse revocare potest, non solum quando data est intra Confessionem, sed etiam probabilius contra Layman, aliosque, quando data est extra Confessionem. Dicitur tertio, *perpetuo secreto*; siquidem tale secretum servandum est, non solum durante vita pœnitentis, sed etiam post ipsius mortem, & quamvis nulla infamia accessura esset ipsi pœnitenti mortuo. Demum quarto & ulti-

mo loco dicitur in definitione, *audita ex Confessione sacramentali*, quæ est *qualibet accusatio peccatorum facta Sacerdoti præsenti, vero, vel probabiliter existimato in ordine ad Absolutionem*. Hinc 1. Confessio facta laico cognito, ut tali, vel Sacerdoti absenti in ordine ad Absolutionem accipiendam ab absente, non parit obligationem sigilli: eam tamen parit Confessio facta Sacerdoti probabiliter existimato tali a pœnitente, quamvis vere Sacerdos non sit; quod a fortiori intelligendum est de Sacerdote carente jurisdictione. Hinc 2. non habetur talis obligatio, si Confessio non fiat cum animo & intentione aliqua recipiendi Absolutionem: ac proinde non habetur ea obligatio ex ea Confessione, qua quis ad Sacerdotem accederet animo eum decipiendi, vel inducendi ad malum. Hinc 3. requiritur quidem ad obligationem sigilli, ut Confessio fiat in ordine ad Absolutionem; non requiritur tamen, ut de facto detur Absolutio: unde, si pœnitens, v. g. ob ejus indispositionem, non absolvatur, adhuc tamen consurgit obligatio sigilli. Hinc 4. patet differentia inter sigillum, & secretum naturale: nam secretum naturale potest in aliquibus casibus, imo debet aperiri; at sigillum Confessionis est tale secretum, ut nunquam, & in nullo casu aperiri possit: item in violatione secreti naturalis datur parvitas materiæ, ea autem non datur in sigillo; semper enim gravissime peccatur ex cujuscumque vel levissimi peccati revelatione, etiamsi nullum damnum proveniat pœnitenti, & solum peccari in ea sigilli fractione posset venialiter ex indeliberatione, vel inadvertentia: demum violando sigillum, peccas contra religionem, justitiam, & fidelitatem; at violando secretum naturale solum peccas contra justitiam, & fidelitatem.

115. Obligatur tali sigillo citra omnem controversiam Confessarius. De quibusdam vero aliis personis, etsi constet, eas teneri ad strictissimum secretum, dubitatur tamen, an teneantur sigillo proprie tali. Personæ autem hujusmodi sunt 1. interpres: 2. superior, ad quem delatus est casus reservatus: 3. Doctor de licentia pœnitentis consultus a Confessario: 4. ille qui vel casualiter, vel malitiose audivit alienam Confessionem: 5. ille cui Confessarius revelavit Confessionem &c. In quo dubio asserimus, eas omnes personas teneri sacro sigillo proprie tali; amplectimur enim illud principium Castropalai, nempe *Omnes illi tenentur sacro sigillo proprie & rigorose tali, qui licite, vel illicite, mediate, vel immediate, audierunt aliquam Confessionem sacramentalem*: & quamvis Card. de Lauræa neget, obligari ad sigillum, qui chartam legit, in qua pœnitens in ordine ad Confessionem scripsit sua peccata, extra tempus eam porrigendi Confessario, vel eidem legendi, tamen cum Card. de Lugo eum censemus obligari; quia est illa charta veluti inchoatio, aut complementum sacramentalis Confessionis.

116. Ad cognoscendum, quænam cadant sub sigillum, & quæ non cadant, tradimus duas regulas. Quarum prima est. *Omnia illa cadunt sub sigillum, quæ pœnitens manifestat Sacerdoti vero, vel existimato in ordine ad Absolutionem validam, vel etiam invalidam, nisi aliunde nota sint Confessario*. Altera est. *Omne illud cadit sub sigillum, quod in sola Confessione sacramentali cognitum potest merito Confessionem reddere gravem, & odiosam, si reve-*

reveletur : ex Valentia *tom.* 4. *disp.* 13. Hinc non solum peccata mortalia tum in genere, tum in specie, tum publica, tum occulta, tum facta, tum futura, non solum peccata venialia in specie, sed alia etiam, quæ non sunt peccata neque mortalia, neque venialia, cadunt sub sigillum, & secreto servari debent, aut certe non manifestanda persona pœnitentis; non enim censeretur frangere sigillum, qui aliquid ex his diceret tacita persona pœnitentis. Limites, nisi pauci sint, qui confessi fuerint; vel nisi nominetur locus, & ille parvus sit; vel nisi nominetur Ordo Religiosus; vel nisi ex circumstantiis pœnitens dignosci possit. Siquidem

117. Duplici potissimum modo frangitur sigillum: 1. formaliter, & directe: 2. materialiter, & indirecte. Frangitur directe, & formaliter, quando Confessarius, vel quivis alius ad sigillum obligatus, sine expresso consensu pœnitentis revelat aliquid ex sola Confessione notum, & cadens sub sigillum, manifestando simul personam pœnitentis. Frangitur vero indirecte, & materialiter, quando Confessarius, vel quivis alius ad sigillum obligatus, sine expresso consensu pœnitentis aliquid facit, dicit, vel omittit, ex quo prævidet futurum, ut qui illud dictum, factum, vel omissionem, mediate, aut etiam immediate cognoscent, sint probabiliter judicaturi, aut suspicaturi, quinam sit in individuo ille, quem Confessarius suo facto, dicto, vel omissione tangebat: unde ad fractionem indirectam tria requiruntur: 1. ut aliquid fiat, dicatur, vel omittatur: 2. quod Confessarius prævideat, aut proxime prævidere debeat alios suspicaturos: 3. quod alii sint ex eo dicto, facto, vel omissione prudenter suspicaturi &c. Ex hac doctrina facilis est resolutio ad varios casus in hac materia.

118. Quamvis vero loqui cum pœnitente de auditis in Confessione extra Confessionem, non sit formaliter revelare, tamen cum eo loqui de iis, eo invito, est læsio sigilli: hoc siquidem, ex Castropalao, aliisque, obligat non solum tegere audita in Confessione, sed etiam ne pœnitens a Confessario exprobetur, aut pudore afficiatur. Si tamen Confessarius post impositam pœnitentiam, & datam Absolutionem, judicet aliquid addendum circa dicta in Confessione, potest id facere; quia illud spectat ad complementum Confessionis. Potest etiam in sequentibus Confessionibus pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus Confessionibus; non autem extra Confessionem: quamvis contrarium censeant graves Auctores in ordine ad errorem corrigendum, factum in præcedenti Confessione. Verum tamen per omnes est, quod, quando pœnitens ipse primus instituit sermonem de sua Confessione, potest Confessarius prosequi talem sermonem; quia censetur, expresse licentiam concedi a pœnitente.

119. Non licet uti notitia habita in Confessione ad actiones externas regulandas, quando adest directa, vel indirecta fractio sigilli, aut quando, nulla existente neque directa, neque indirecta fractione sigilli, adest gravamen aliquod pœnitentis, etiamsi ex non usu talis notitiæ gravamen multo majus eventurum sit pœnitenti, ex decreto supremæ Inquisitionis *ann.* 1682.

120. Quo ad pœnas pro fractione sigilli observandum est ex Gobato *in*

Qui-

Quinario tract. 5. *num.* 42. *sect.* 7. ubi ipse docte ac juridice differit de modo formandi processum contra committentem tale crimen; observandum, inquam, est in primis, & ante omnia, obtinendam esse licentiam ab ipso pœnitente inquirendi, ac testes examinandi super fractione sigilli: quod si pœnitens recuset, nefas erit formare talem processum: quod si obtineatur dicta licentia, & probetur delictum fractionis sigilli, & Confessarius de hoc gravissimo crimine convincatur, tunc pœna ordinaria, in jure statuta, est, ut reus detrudatur in arctum monasterium: hodie tamen, ut ex multis notat Clericatus, est, ut reus mancipetur carceri, vel triremi: imo, si revelatio esset qualificata, esset degradandus, brachio sæculari tradendus, ac morte corporali puniendus, ut cum Gobato notat idem Clericatus.

§. II.

De obligatione emendandi defectus.

121. Tripliciter potuit ex parte sua Confessarius male administrasse Sacramentum: I. ex eo quod ipse oblitus fuerit dare Absolutionem, vel invalide dederit; II. ex eo quod errorem docuerit: III. ex eo quod monitionem debitam omiserit. Jam vero, quando Confessarius oblitus est absolvere a censura, quam poterat, & debebat absolvere, absolvat ab ea pœnitentem etiam distantem, quia Absolutio a censura non exigit præsentiam, ex Suarez *disp.* 32. *sect.* 6. Aliud esset, si quis solum haberet potestatem absolvendi a censuris in actu sacramentalis Confessionis. Non poterit tamen hoc remedio uti, quando oblitus est absolvere a peccatis, & pœnitens est taliter distans, ut non sit amplius moraliter præsens, ex decreto Clementis VIII. at poterit eodem uti, quando pœnitens sit ita distans, ut sit moraliter præsens: censebitur vero, juxta probabiliorem sententiam, esse moraliter præsens, quando nondum recessit a conspectu Confessarii, ex Bonacina, & Castropalao: quamvis tutius esset, imo ex Reginaldo, aliisque, necessarium, pœnitentem in tali casu revocare ad Confessionem, si possit sine gravi incommodo id fieri. Quod si pœnitens ita recessit, ut jam plures horæ elapsæ fuerint a facta Confessione, ita ut timeri possit, ne novo peccato se macularit, tunc Confessarius nequaquam poterit illum non præmonitum, etiamsi denuo præsentem, absolvere; sed monitus pœnitens de defectu commisso, si in eadem Contritione maneat, & voluntate recipiendi Absolutionem, absolvi debet. Idem ferme dicendum, si Absolutio fuit nulla ob defectum jurisdictionis; quo ex capite, ut bene notat hoc loci Castropalaus, raro erit invalida Absolutio: &, si quidem opus fuerit loqui de auditis in Confessione, petat veniam a pœnitente; eoque illam negante, urgendus non est, ex Gobato, aliisque contra Suarez, sed Deo committendus.

122. Quando docuit errorem, tunc, si error fuit cum damno tertii, tenetur Confessarius, si possit, admonere pœnitentem de errore a se facto, extra Confessionem, petita ab eo venia loquendi; vel in alia Confessione, si ille redeat: non tenebitur autem ipse Confessarius resarcire damnum secutum, nisi

nisi illum errorem docuerit cum culpa sua gravi, proveniente vel ex malitia, vel ex culpabili graviter negligentia, & ignorantia. Si autem error fuit sine damno tertii, & sine invaliditate Sacramenti, tunc ad nihil eum teneri censet Filliuccius, raro obligari ad monitionem edocet de Lugo. Uterque ex Tamburino probabiliter: quod intelligas, si bona fide, & non malitiose, Confessarius processerit. Cæterum censeo cum Castropalao, teneri ex charitate in hoc etiam casu quemlibet Confessarium errorem purgare, & Parochum ex justitia.

123. Quando monitionem debitam omisit, tunc vel Confessarius est Parochus, vel delegatus. Si delegatus omisit culpabiliter monere de restitutione, de fuga occasionis &c. & idcirco pœnitens id non fecit, tenetur probabilius ex sola lege charitatis ad monitionem faciendam modo prædicto, nempe vel extra Confessionem, obtenta a pœnitente venia, vel intra, si ille redeat: at, si Parochus id omisit, tenetur ex charitate, & ex justitia; quia peccavit contra debitum sui officii, vi cujus adstringitur subditos ab erroribus liberare, ex Castropalao. Neuter vero tenebitur creditori restituere; quia neuter tenetur restitutionem v. g. pœnitenti significare ex debito justitiæ respectu creditoris, sed uterque tenetur ex debito justitiæ respectu pœnitentis, vel, ut aliis placet, ex solo debito religionis.

124. Demum, post auditas Confessiones, præsertim sub initium talis muneris exercendi, expedit cuilibet Confessario observare id, quod docuit Sanctus Ignatius: scilicet, ut Confessarius in se se diligenter inquirat, & examinet, numquid omiserit, vel neglexerit aliquid ad munus suum pertinens; &, si quidem errasse deprehendat, doleat, & proponat emendationem; si nihil occurrat, Divinæ bonitati gratias agat, ex Gobato, Lonher, aliisque.

125. Curare debet Confessarius, ut audita in Confessione oblivioni tradat, nec fere unquam, præsertim apud imperitos & rudes, dicat, hoc, vel illud se novisse in Confessione: siquidem alterum ipsi Confessario nocere poterit, nempe audita sine necessitate apud se recolere; alterum pusillis non raro scandalo erit.



PARS

PARS TERTIA

IN QUA

Selecta ad Confessarii munus spectantia cum adnotationibus proponuntur.

ELENCHUS, SEU INDEX CENSURARUM;

Aliarumque pœnarum canonicarum, reservationum, impedimentorum &c.

I.

CASUS BULLÆ CŒNÆ.

1. HÆretici cujuscumque sectæ, eorumdem receptatores, fautores, defensores, eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, scienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes, & Schismatici.

2. Appellantes ab ordinationibus; seu mandatis Romani Pontificis ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Piratæ, cursarii, ac latrunculi maritimi, discurrentes mare Romani Pontificis, præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defensores.

4. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in littoribus inventa, surripientes.

5. Imponentes nova pædagia, & gabellas, vel eas augentes, præterquam in casibus a jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia.

6. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falso fabricantes.

7. Deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel hæreticos per Sanctæ Sedis sententiam expresse, & nominatim declaratos; vel ad Christianæ reipublicæ, aut Catholicæ religionis statum pertinentia, in ejusdem damnum illis annunciantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera lædentes, vel sine jurisdictione vexantes in Curia Romana commorantes.

10. Romipetas, & peregrinos etiam in Urbe morantes, vel recedentes, lædentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

11. Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel favorem.

12. Oc-

12. Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis spoliantes per se, vel per alios, eos, qui pro negotiis suis ad Romanam Curiam recurrunt, aut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores, vel Judices super dictis causis deputatos.

13. Appellantes a gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem.

14. Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, quique illorum, & delegatorum judicia eludentes, ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præstant auxilium.

17. Usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, & proventus ad Sedem Apostolicam, & ad quascumque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vel ea sequestrantes.

18. Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, monasteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices, & quilibet ministri, aut executores sæculares, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas.

20. Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ immediate, vel mediate subjecta, & illius jurisdictionem usurpantes.

I I.

CASUS CLEMENTINI, PAPÆ RESERVATI IN ITALIA EXTRA URBEM.

Vid. pag. 145.

I I I.

Excommunicationes, aliæque censuræ afficientes Confessarios in casibus subsequentibus.

1. Quilibet præsumens absolvere ab excommunicationibus Bullæ sine debita facultate, ipso jure est excommunicatus, ejusque Absolutio est nulla: hæc tamen excommunicatio licet olim reservata fuerit, teste Cajetano *V. Excomm. cap.* 77. attamen nullam nunc continet reservationem, ex Suarez *disp.* 21. *de Cens. sect.* 3.

2. Absolvens a censuris Bullæ in Italia extra Urbem prætextu privilegiorum a Sede Apostolica concessorum, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ex decreto Clementis VIII. & declaratione Cardinalium edita *anno* 1601. *die* 9. *mensis Januarii*, quæ incipit *Sacra Congregatio*.

3. Quicumque item scienter præsumit absolvere a casibus Papalibus extra Bullam, & a sex casibus Clementinis, & a reservatis Ordinario loci sine debita facultate, incurrit excommunicationem reservatam, tum ex *Extravag.*

Dominici &c. tum ex Decreto Clementis VIII. Quamvis autem ad eam incurrendam videatur requiri, ut Absolutio detur prætextu facultatum, & privilegiorum, uti expresse docet Bonacina *disp.1.de Cens.q.20.p.3.* tamen Filliuccius cum aliis *tract.15. cap.7.q.8.* simpliciter existimat, ita absolventem a casibus Papalibus, sex Clementinis, & reservatis Ordinario loci, excommunicationem incurrere reservatam. Certum autem est, in provincia Mediolanensi ex jure particulari latam esse excommunicationem contra præsumentes absolvere a casibus reservatis, & suspensionem contra eos, qui hoc faciunt prætextu privilegii, ex Bonacina *disp.1.q.20.p.3.*

4. Quilibet injuste impediens executionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ, aut prædicto impedimento auxilium, consilium, vel favorem præstans, excommunicatur ex Bulla Julii III. quæ incipit *Rationi congruit*: hanc vero excommunicationem putat esse Papæ reservatam Castropalaus *disp. 3. de Cens. p.30.*

5. Confessarius, qui ob negligentiam mortaliter culpabilem non moneat pœnitentes, quorum Confessiones audit, de decimis solvendis, postquam a Rectore Ecclesiæ, vel illius Vicario fuerit requisitus, incurrit suspensionem a prædicationis officio; &, si post incursam hanc suspensionem ausus fuerit prædicare, negligentia non purgata, cum ad illius purgationem commodam facultatem habuerit, excommunicationi subjicitur, *ex Clement. Cupientes, de pœnis, circa fin.* Hæc autem censura non extenditur ad Religiosos monasteriorum, vel Ecclesiarum Rectores decimas percipientium, *ibidem*.

IV.

Delicta, quæ Sancto Officio, vel Ordinario sunt denuncianda a scientibus illa extra Confessionem.

1. Hæresis, & ea omnia, quæ hæresim sapiunt, v.g. favere hæreticis, eosque receptare &c.

2. Apostasia a Fide.

3. Blasphemia hæreticalis ex iracundia, aut sub conditione, v.g. non credo in Deum, nisi te interficiam, aut quæ per modum contumeliæ profertur, v.g. *Al dispetto di Dio, Rinego Dio &c.*

4. Ex iracundia percutientes sacras Imagines.

5. Sortilegi, & malefici, videlicet, qui dæmonum ope occulta revelant, aut aliis nocent, necnon Astrologi judiciarii.

6. Sacerdotes non consecrantes, & non Sacerdotes celebrantes, aut Confessionem excipientes.

7. Confessarii sollicitantes, vel non declarantes sollicitatæ obligationem denunciandi.

8. Frangentes cedulones.

9. Insordescentes in excommunicatione per annum.

10. Comedentes carnes diebus vetitis.

11. Omittentes semel in anno Sacramenti Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ susceptionem.

12. Im-

12. Impedientes quovis modo Sanctum Officium.

13. Contrahentes matrimonium post emissam solemnem Professionem, vel post susceptum Ordinem sacrum.

14. Contrahentes matrimonium stante impedimento ligaminis, idest vivente conjuge.

15. Retinentes, aut legentes libros hæreticorum hæresim continentes, aut ex professo de religione tractantes, sine debita facultate &c. juxta tenorem Edicti S. Inquisitionis. Ex quo, & ex variis Pontificum Constitutionibus alia deprehendes delicta denuncianda, de quibus passim Doctores apud Vivam *in prop. 5. damnata ab Alexandro VII.* & in Summa Dianæ *v. Inquisitorum jurisdictio*.

V.

Pœnæ nonnullæ ex præscripto sacrorum canonum aliquibus delictis annexæ.

1. Contrahentes matrimonium non præmissis denunciationibus culpabiliter, subjiciuntur pœnis matrimonii clandestini, ex communi doctrina apud Castropalaum *disp. 2. de Sponf. p. 13. §. ultim.* Pœnæ autem talis marimonii sunt I. ut condigna pœnitentia eis imponatur, *ex Cap. Cum inhibitio, de sponf.* II. ut, si conjuges prolem suscipiant, ignorantes se impedimento dirimenti laborare, ipsa proles, quæ alias a jure legitima esse concedebatur, legitima non sit: III. ut spe consequendæ dispensationis careant, ex Tridentino *sess. 24. cap. 5. de reformat.* ubi notes, quod Tridentinum nullum esse declaravit Matrimonium clandestinum; at pœnæ, quæ erant illi ex jure annexæ, remanent respectu contrahentium sine denunciationibus, nec sunt ab eo Concilio correctæ, teste Tamburino *l. 8. de Matr. tr. 3.* aliisque communiter.

2. Parochi, vel Sacerdotes ex eorum delegatione assistentes matrimonio, non præmissis culpabiliter denunciationibus, per triennium ab officio suspendantur, gravius puniendi, si culpæ gravitas postulaverit, *ex Cap. Cum inhibitio, de cland. desp.*

3. Adulterans amittit jus petendi debitum conjugale, in hoc sensu, quatenus conjux innocens, stante certitudine saltem per vehementem suspicionem de adulterio, potest negare debitum; non autem in hoc sensu, quatenus peccet ipso facto petendo debitum, ut bene cum Soto *in 4. dist. 16. q. unic. art. 6.* advertunt Sanchez *l. 1. disp. 68.* Filliuccius, aliique. Unde la Croix *lib. 6. p. 3. n. 372.* ait, quod adulterans non potest quidem ab alia comparte innocente exigere tanquam debitum, attamen potest petere tanquam benevole concedendum; & quamvis dicatur ipso facto privari jure petendi debitum, tamen id intelligitur, si a conjuge innocente privetur.

4. Incestum committens cum consanguineis conjugis viventis in primo, & secundo gradu, amittit ante omnem sententiam jus petendi debitum, ita ut peccet lethaliter, si absque dispensatione petat debitum, ex variis textibus apud Sanchez *l. 9. disp. 27. de Matr.* Dispensat autem huic pœnæ Epi-

ſcopus, ex Sanchez *l.* 8. *diſp.* 12. Advertas, quod idem inceſtuoſus licet non poſſit petere, tenetur tamen conjugi innocenti reddere, *ex Cap. Diſcretionem, de eo qui cognovit &c.* apud Sanchez *ibid.*

5. Sodomitarum pœnæ omnes fere requirunt ſententiam judicis, ut videre eſt apud Azorium *p.* 3. *l.*3. *c.*19. & Petrum Matthæum ſuper Bullam S. Pii V. quæ incipit *Horrendum illud ſcelus &c.* Solum dubitatur de excommunicatione in Clericum ſodomitam, an ſit latæ ſententiæ? Sed non videtur Tamburino eſſe latæ, at dumtaxat ferendæ ſententiæ, *ex Cap. Clerici, de ex ceſſibus Prælat.*

6. Clericus excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus, ſi exerceat ſolemniter ſibi prohibitum actum Ordinis ſaltem majoris, irregularitatem incurrit, *ex Cap.* 1. *§. ult. de ſent. excomm. in* 6. aliiſque juribus. Excipe, niſi Divina celebraverit cum ignorantia probabili ſuſpenſionis ſuæ, ratione cujus excuſaretur, non autem cum ignorantia craſſa, ſupina, aut erronea; quia hujus generis ignorantia non excuſat, *ex Cap. Apoſtolicæ* 9. *de Cleric. excomm. depoſit. &c.*

7. Proviſio, & collatio Beneficii ſimoniaca, eſt ipſo facto irrita, & nulla; unde per hujuſmodi proviſionem jus nullatenus acquiritur, & ſic recipiens Beneficium, non facit fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo adſtrictus eſt. Limites, niſi aliquis in fraudem eligendi, aut inſtituendi, ipſo ignorante, pecuniam largiatur, ut eumdem ad Beneficium inhabilem reddat. Item limites, niſi electus, vel inſtitutus expreſſe contradixerit, aut prohibuerit, ne interveniret ſimoniaca datio, vel acceptio, quæ tamen, eo ignorante, facta ſit, & ante acceptationem neſciverit, Beneficium ſimoniace eſſe obtentum. Quod ſi is poſtea ſimoniam ab alio factam ratam habeat, v. g. ſolvendo amico pecunias, quas pro ſe dedit, quaſi approbando, & gratificando factum (ſecus eſſet, ſi ſolum ſolveret liberali animo, & ne ille detrimentum patiatur), peccat peccato ſimoniæ; ſed valde probabile eſt, quod non incurrat ipſo facto pœnam privationis Beneficii acquiſiti, ex Suarez *cap.* 57. & ex variis juribus apud Layman *l.* 4. *tr.* 10. *c. ult. §.* 9.

8. Beneficiatus cum animarum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus non facit ſuos, pro rata omiſsionis Officii, & temporis; ſed eos tanquam injuſte perceptos in fabricas Eccleſiarum hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare tenetur, *ex ſeſſ.* 9. *Concilii* Lateranenſis ſub Leone X. & *ex Bulla* 138. S.Pii V.

9. Pœnæ contra alienantes bona Eccleſiaſtica extra caſus, in quibus adſit Eccleſiæ neceſsitas, & evidens utilitas, aut ſine debitis ſolemnitatibus, ſunt quatuor. 1. Nullitas contractus. 2. Excommunicatio latæ ſententiæ tam contra alienantes, quam contra recipientes; quæ non eſt reſervata. 3. Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ quo ad Epiſcopos, & Abbates, & poſt ſex menſes addita eſt ſuſpenſio a regimine, & adminiſtratione. 4. Privatio ipſo facto Prælaturæ illius Eccleſiæ, cujus bona alienarunt, ex Extravaganti Pau-

li II.

li II. *Ambitiosa*, aliisque juribus. Dictæ autem pœnæ non incurruntur a meris subditis, sed a Prælatis, Beneficiariis, aliisque administrationem habentibus, ex Felice Potestate *t. 1. p. 2. c. 4.*

10. Usurarius manifestus, præter alias pœnas, non est admittendus ad Communionem Altaris, nec Ecclesiastica sepultura tumulandus, si in hoc peccato decesserit: item non est admittendus ad Confessionem, sive Absolutionem suorum peccatorum, nec testamentum condere potest, nisi prius usuris satisfecerit, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstet idoneam cautionem, juxta modum expresse statutum *in Cap. Quamquam, de usur. in 6.*

11. Innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis per se, vel per alium insimulans, incidit in casum Papæ reservatum, ex Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ* Bened. XIV. *tom. 1. ejus Bull. pag.* 50.

Advertas, alias quamplures esse pœnas pro variis aliis delictis, quas utpote de rarius contingentibus omittimus.

VI.

VOTA,

Quorum dispensatio vel communi jure; vel consuetudine, reservata est Summo Pontifici.

1. Votum Castitatis perpetuæ.
2. Votum Religionis.
3. Votum peregrinationis Romanæ.
4. Votum peregrinationis Hierosolymitanæ.
5. Votum peregrinationis Compostellanæ.

Hæc in generali concessione, sive indulto dispensandi in omnibus votis, non debent censeri comprehensa, ex Layman *hic*: ubi advertas circa votum Religionis, ea omnia vota esse Papæ reservata, per quæ quis fit Religiosus; qualia sunt Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in Religione emissa; item quædam alia vota particularia secundum specialia statuta quorumdam Ordinum, ex Suarez apud la Croix *l. 3. p. 1. num. 566.*

VII.

Impedimenta matrimonii.

Alia sunt mere impedientia, propter quæ scilicet prohibetur matrimonium; sed, si de facto fiat, valide fit, quamvis illicite. Alia sunt dirimentia, quæ ita vocantur, non quia matrimonium jam semel valide contractum dirimant, sed quia dirimunt matrimonium attentatum, seu impediunt, ne matrimonium valide contrahatur.

Primi generis licet antiquitus essent plura, nunc sunt juxta probabiliorem sententiam quatuor: nempe 1. Ecclesiæ vetitum: 2. tempus feriarum: 3. sponsalia: 4. votum simplex castitatis, ex Sanchez *l. 7. de Matr. disp. 6.*

Adverte 1. quod, ut bene notat Busembaum *l. 6. tr. 6. c. 3. dub. 1.* hæc reddunt illicitum matrimonium potissimum, sed non dumtaxat: nam, præter illa, reddit illicitum matrimonium 1. omissio benedictionis: 2. omissio præviarum procla-

ma-

mationum: 3. clandestinitas, ubi Tridentinum non est receptum; nam, ubi est receptum, clandestinitas reddit matrimonium nullum. Præterea non te lateat, quod illicitum redditur matrimonium per peccatum mortale, & per excommunicationem &c.

Adverte quod Episcopus potest dispensare in primo ex quatuor impedimentis, si prohibitio sit ab ipso, aut Parocho sibi inferiori: item potest in 2. ex universali consuetudine: non potest autem in sponsalibus, quia cedit in præjudicium tertii, nec in voto absoluto, & perfecto castitatis, quia est reservatum Papæ.

Impedimenta secundi generis sunt quatuordecim, quæ omnia his subsequentibus versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Adverte primo, quod error dirimens matrimonium, est error circa substantiam, nempe quando judicas, eam, cum qua contrahis, esse Bertam, & ea revera non est. Non autem est error in qualitate: unde quamvis aliquis sive vincibiliter, sive invincibiliter, sive antecedenter, sive concomitanter erret judicans illam, cum qua contrahit, esse divitem, quando revera non est, tamen matrimonium est validum, ex Sanchez, & communi. Excipe, nisi error in qualitate redundet in substantiam, & nisi qualitas personæ apponatur in contractu tanquam conditio sine qua non: tunc autem error qualitatis redundat in substantiam, quando qualitas, in qua erratur, est talis, ut designet individuam personam, ex Felice Potestate.

Adverte secundo, quod crimen dirimens matrimonium, duplex est: nempe 1. adulterium conjunctum cum occisione conjugis, aut cum machinatione ejusdem occisionis, effectu subsecuto, aut cum promissione futuri conjugii acceptata ab altero conjuge per acceptationem externo aliquo signo factam, aut cum matrimonio attentato per verba de præsenti: 2. occisio conjugis ex intentione contrahendi matrimonium cum conjuge superstite, dummodo ea occisio perfecta sit, & non mere attentata, & dummodo uterque copulari matrimonio volens cooperatus sit ad mortem alteri conjugi inferendam, ut cum superstite contrahatur; non autem, si unus dumtaxat ex illis mortem machinatus est absque alterius opera, vel consilio, ut probabilius docet Sanchez *disp. 78. lib. 7. de Matr.*

Adverte tertio, quod præsentia Parochi non sufficit, si sit mere materialis, & de facto, sed requiritur etiam moralis, ita & taliter ut sciat & intelligat quid agatur, ex Sanchez *de Matr. num. 3. disp. 39.* Attamen, ut bene notat Card. de Luca *disc. 2. de Matr.* id procedit, ad effectum ne coram

Pa-

Parocho, & testibus dormientibus, vel ebriis, seu fatuis, aut alias rationis usum impeditum habentibus, seu aliud agentibus, ac non audientibus, vel alias nullo sensu percipientibus id fiat: secus autem, ubi Parochus naturaliter intelligat, sed studiose curet nolle intelligere, neque actum approbare, sed dissentire, vel fugere &c. ut pluries decisum fuit in Rota, teste eodem de Luca *disc.* 6. Quamvis vero etiam alius Sacerdos valide assistat matrimonio de licentia Parochi, vel Episcopi, seu Ordinarii loci, diligenter tamen observandum est, an licentia data Sacerdoti per Episcopum, sit data tanquam per speciem delegationis ad hoc, ut ille habeat assistendi potestatem, quam alias non haberet; aut sit data cum præsupposito, quod ille sit proprius Parochus ad diversum effectum, v. g. ad hoc ut licite solemnizet matrimonium non præmissis denunciationibus &c. Nam in primo casu valide assistet ille Sacerdos cum licentia Episcopi; in secundo vero non item, ut fuse ostendit Card. de Luca *disc.* 1. *de Matr.* Atque hic observent Sacerdotes, non esse regulariter credendum contrahere volentibus, dicentibus, se habere licentiam, ut alienus Sacerdos assistat, ex Sanchez *l.* 3. *disp.* 37.

Adverte demum, quod impedimenta dirimentia alia sunt de jure naturali, alia de jure Ecclesiastico. In impedimentis de jure Ecclesiastico potest dispensare Summus Pontifex: præter ipsum autem nullus potest dispensare ex jure ordinario; quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi ab ipso, vel a consuetudine facultatem habeat. Dixi, ex jure ordinario; nam ex commissione Pontificis possunt Episcopi post matrimonium contractum, ratione gravissimæ necessitatis, quæ existit concurrentibus his quatuor circumstantiis: 1. quod necessitas ita urgeat, ut non sit tempus, vel propter paupertatem non sit modus adeundi Pontificem, vel ejus delegatum valentem dispensare: 2. quod impedimentum sit occultum, idest secrete quidem notum tribus, aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ: 3. quod matrimonium fuerit bona fide contractum: 4. quod conjuges nequeant absque gravi incommodo, vel scandalo separari, &, si inseparati maneant, versentur in periculo incontinentiæ, donec Papa, vel ejus delegatus dispenset, ex Sanchez *de Matr. l.* 2. *disp.* 40. Barbosa *de offic. & pot. Episc. allegat.* 35. Hæc autem Episcopi dispensatio in tali gravissima necessitate esset pro solo foro conscientiæ.

Antequam ineatur matrimonium, difficilius quidem datur talis necessitas, qua possit Episcopus dispensare in impedimentis: tamen Sanchez *de Matr. disp.* 40. quem sequuntur Palaus, Dicastillo, Bonacina, & Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 35. ait dari in duobus casibus: 1. quando sponsa commisit fornicationem cum sponsi cognato in secundo gradu, nec suppetit ulla prorsus ratio differendi matrimonium, aut vitandi grave aliquod incommodum, nisi dispenset Episcopus: 2. quando quis morti proximus adstringitur ad matrimonium cum aliqua contrahendum, ut sic legitima reddatur proles antea suscepta, vel ut resarciatur honor puellæ, vel ut statim sedentur graves inimicitiæ. Hæc satis indicasse.

For-

VIII.

Forma integra Absolutionis ex Rituali Romano.

Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, Absolutionem, & Remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, & Misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (ly suspensionis circa laicos omittitur), & interdicti in quantum possum, & tu indiges: deinde

Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

PRAXIS

Pro Confessario infirmi extremo, vel gravi morbo laborantis.

Ex Polanco in Methodo pro adjuvandis iis qui moriuntur.

1. Infirmus, ad quem Confessarius vocetur, potest esse I. vel graviter laborans ob naturalem aliquem morbum, v.g. febrim: II. vel in periculo vitæ ob vulnus aliquod, aut gravem acceptam percussionem: III. vel demum ob alterutram ex his caussis ita affectus, ut sensibus videatur plane destitutus, ac brevi moriturus. Jam vero Confessarius ea in promptu habere debet, quæ pro triplici hac diversa circumstantia sibi incumbunt, ut rite sancteque munus suum exequi valeat.

§. I.

2. Ac primo quidem, si vocetur ad infirmum graviter laborantem ob naturalem aliquem morbum, ea debet ad praxim deducere quæ optime *in sua Methodo* tradidit Polancus, cujus ipse verba exscribam, & notationem ubi opus fuerit subjiciam. Prudens itaque ac pius Auctor hæc habet *in cap.2. citatæ Methodi* pro adjuvandis iis qui moriuntur: *Cum primum fieri poterit, infirmum ad Confessionem adducat, & suam operam in redigendis ad memoriam peccatis promittendo, eam faciliorem ægrotanti reddere conetur, & cum assensum ejus habuerit, semotis arbitris audiet, quæ ipse sciet, & volet dicere; deinde ipse juvet de iis, quæ sunt probabiliter omissa, percunctando & numerum, & circumstantias necessarias; quæ postquam habuerit, quantum*

tum satis est, tunc ad Contritionem (si eam imperfectam animadvertit) hominem juvet: id tamen cum ea moderatione faciat, ne ægrotus in diffidentiam, & nimiam animi dejectionem incidat.... Curet etiam, ut Contritio sit charitate informata, & non ex timore tantum, & ut firmum vitæ serio emendandæ propositum, si supervixerit, in eo sit, & tunc consolando eum spe veniæ, & reconciliationis cum Deo, Absolutionis beneficium impendat, servatis servandis, prout infra.

3. Notetur ex hactenus a Polanco dictis, quod tria hæc Confessarius curare debet: primo ut quamprimum Confessio ab infirmo fiat: deinde ut ipsum adjuvet in Confessione facienda: postremo ut Contritio sit charitate informata. Et quidem quo ad primum Confessarius non debet facile credere domesticis negantibus adesse periculum, ex Gobato: imo, postquam amice infirmum salutaverit, & discrete quæsiverit de morbo, de quiete &c. captata occasione statim insinuet, expedire Confessionem fieri, antequam vis morbi invalescat; tum quia repromissio nequissima multos perdidit; tum quia usus instituendi Confessionem sub initium morbi, illud etiam habet peculiare commodum, inquit Sylvester *v.Medicus*, ne infirmi, cum de Confessione admonentur, existiment, se jam esse in periculo, & sic tristitia afficiantur. Quo ad secundum, Confessarius debet quidem adjuvare infirmum, ut integre confiteatur, sed discrete id agat; etenim minus est interrogandus æger, quam sanus, ex la Croix *de Pæn. num.*1750. imo, si infirmus ita sit gravatus, ut timeatur ei imminens mors, poterit Confessarius ante consummatam integram materialiter Confessionem illum absolvere, ex Suarez *de Pæn. disp.*23. *sect.*1. nam in eo casu satis erit, ut ea a pœnitente dicantur, quæ pro temporis opportunitate, & ratione periculi poterunt ab ipso dici, ex eodem *ibid.* Observandum tamen erit ex eodem Suarez, ut dicatur, quoad fieri poterit, materia certa, & non dubia, item ut exponatur materia potius necessaria, si ea forte sit, quam non necessaria. Quod si deinde recedat periculum imminentis mortis, continuanda erit Confessio, donec integre fiat; eaque finita, iterum danda erit Absolutio; novum enim Sacramentum, & a priori distinctum efficitur. Quo ad tertium, licet Attritio supernaturalis sufficiens sit ad valorem Sacramenti etiam pro articulo mortis, ex communi apud la Croix, tamen ratione præcepti charitatis tum in Deum, tum in se ipsum, probabilius videtur, quod omnis homo, regulariter loquendo, teneatur pœnitere per Contritionem in articulo mortis, ex Suarez.

4. Pergit porro citatus Polancus *in sua Methodo*, ac docet quæ debeat Confessarius injungere infirmo pro Satisfactione sacramentali, & quomodo curare, ut reatus pœnæ temporalis in eo omnis, quoad fieri potest, deleatur: *Si aliquas Indulgentias ei poterit impertiri, quam large licebit, impertiatur, & ut patienter morbum, & ejus molestias, & mortem ipsam, si Deo placuerit, de manu ejus suscipiat pro Satisfactione suorum peccatorum, & ob Dei amorem, admoneat; & pœnitentia alia vel non injungatur (nisi brevissima, & quam possit facile peragere), vel, si injungitur alia major, nonnisi recuperata valetudine ad eam se teneri ægrotus intelligat.*

5. Notetur, incumbere Confessario, sollicitum esse, ut in infirmo non solum deleatur reatus culpæ per Absolutionem sacramentalem, sed etiam reatus pœnæ temporalis, tum per Satisfactionem sacramentalem, tum per acceptationem pœnarum, & mortis, tum per Indulgentias. Hinc obligatur Confessarius, quando infirmus non sit sensibus destitutus, pœnitentiam illi aliquam injungere, etsi levissimam, v. g. invocationem nominis Jesu ore, vel corde, voluntariam oblationem infirmitatis, & dolorum, aliumque similem pium motum. Quod si peccata ampliorem Satisfactionem requirant, imponenda erit major, sub obligatione, si convaluerit, exequenda, ex Layman *lib.5.Summ.tract.6. cap.15. quæst.1.* Deinde, quia satis probabiliter Doctores nonnulli docent, posse a Confessario pœnitentiam imponi infirmo, non ex præcepto, sed ex consilio exequendam, & sic impositam, sacramentalem esse, & habere effectum ex opere operato, Suarez *disp.38. sect.3.* Layman *l.5. Summ. tract.6. cap.15.* Bonacina *disp.5. de Pœn. q.5. sect.3. p.2.* idcirco expedire censerem, ut aliquibus infirmis imponeretur, non quidem ex præcepto, ne scrupulus deinde subreperet, sed ex consilio in pœnitentiam, ferre patienter, quantum patitur humana fragilitas, diuturnitatem, ac molestias tum morbi, tum medicamentorum; sic enim infirmus non solum remissionem obtineret ex opere operato, sed etiam ex opere operantis, videlicet per suam patientiam. Demum curet Confessarius, ut infirmus eas Indulgentias acquirat, quas potest, ac propterea eum admoneat de eliciendis illis actibus, qui requiruntur ad lucrandas Indulgentias vel Rosarii, vel Scapularis, vel sacrorum Numismatum &c. Et quia possunt esse Indulgentiæ ita a Summo Pontifice concessæ, ut eas quis possit alteri applicare, ex Suarez *de Indul.sect.7.* propterea Confessarius si eas forte habeat, non negligat eidem applicare &c.

6. Addit citatus Polancus, quomodo curare debeat Confessarius, ut infirmus ea adimpleat, ad quæ tenetur ex Justitia, vel alia virtute: *Si habet aliquid, alicui quod restituere debeat, & statim possit, videat Sacerdos, an expediat differre Absolutionem, donec id opere compleat: vel, si non differt, quia promittenti se statim id facturum credit, urgeat, ut vivens id fieri curet, nec hæredum arbitrio id relinquat, quod tantopere ad suæ salutem animæ pertinet. Hoc de rebus clare debitis intellige. Si res esset dubia, & ipso vivente declarari posset, an ad restitutionem teneatur (ut in habentibus negotia, vel administrationem bonorum alienorum accidere facile posset), primo quoque tempore id fiat. Si non ejusmodi res est, ut statim possit veritas elucescere, in testamento, vel codicillo decernat, ut, re declarata, cuique quod suum est reddatur; & tantundem fiet, si clarum est debitum, & tamen non potest statim restitui: & solet bonum esse consilium, ut hæredes aliqua pœna ad restitutionem tempestive faciendam, si statim non possit fieri, obligentur; sed valde optandum, & curandum est, ut statim fieri possit. Si cum aliquo intercedit inimicitia publica, non solum ut ignoscat, sed, si fieri poterit, ut coram Notario, & testibus id constet, curandum est: &, si ipse alium offendit, mittat ad veniam petendam, & satisfaciat offenso, ut oportet, & pax (si res id feret), dum*

ægro

ægrotus vivit, conficiatur; secreta autem secrete, si quæ fuerint hujusmodi, transfigantur. Si ad famæ restitutionem fuerit obligatus, eo modo, quo poterit per se, vel per alium, eam restituere curet verbo, vel scripto. Si excommunicatus esset infirmus, curetur, ut se submittat totis viribus Ecclesiæ ordinationi, ut beneficium Absolutionis consequatur.

7. Notes quo ad restitutionem rei; cum hæredes præsertim magnatum negligentes esse soleant in restitutione, vel in indaganda obligatione restituendi, idcirco, si homines in periculo mortis constituti possint sine incommodo gravi restituere, non sunt absolvendi, si obligationem illam velint rejicere in hæredes; sic enim exponunt creditores periculo proximo injustorum damnorum. Si tamen esset periculum scandali, vel infamiæ, aut alia gravis causa, posset differri restitutio post mortem facienda per alium. Ita ex Molina, de Lugo, Tamburino, aliisque apud la Croix *l.3. p.2.num.357.* Quo ad reconciliationem cum inimico notes, quod licet quis teneatur inimico non solum interius injuriam remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere, non tenetur tamen remittere satisfactionem pro damno, si ab eo fit læsus, imo potest juridice compensationem petere, dummodo vere deponatur odium, ex Busembaum *de Charit.dub.2.* aliisque. Observat vero Layman *de Charit. cap.4.* quod actionem criminalem contra offensorem licet possit quis ex amore justitiæ instituere ac prosequi, adeoque non videatur ex necessitate obligandus infirmus ad actionem injuriarum criminalem remittendam coram Notario &c. tamen id ferme periculo non vacat, & idcirco curabit Confessarius, ut infirmus talem remissionem coram Notario faciat &c. Accedit, quod, si infirmus læsus ab alio causam ipse lædendi dedit, v. g. si læsus fuit primus, & injustus aggressor, & ille alius ad se defendendum percussit, nec excessit moderamen &c. tunc infirmus læsus tenetur in conscientia actionem injuriarum coram Notario &c. remittere, ex Mancin. *in pract. visitandi infirmos*; nam ex *reg. jur. in 6. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare.* Postremo quo ad restitutionem famæ, notes, rem hanc, magnam prudentiam in Confessario exigere; & sicuti non facile debet credere famam vel non fuisse ablatam, vel fuisse jam recuperatam, ita, si revera nulla fuit infamia secuta, eo quod infamator esset nullius fidei (quod sæpe accidit), vel quia illi, apud quos infamavit, sciebant similia ita, ut infamia non fuerit notabiliter aucta, non debet tanquam ex necessitate urgere infirmum ad restitutionem faciendam, ex Lessio *l.2. cap.11. dub.26.*

8. At quid faciet Confessarius, si intelligat, infirmum habere concubinam vel domi, vel alibi? ℞. Si domi concubinam habeat, quam possit expellere, non debet illum absolvere, nisi illam ejecerit, cum proposito illam non admittendi amplius, nisi forte mors ipsa instet, desitque tempus ad ejiciendam; quia in tanta necessitate sufficere poterit firmissimum propositum dantis signa veræ pœnitentiæ, ex Reginaldo *in praxi part.2. q.25.* Si vero concubina fuerit extra domum, differenda quidem esset Absolutio extra casum periculosæ, & gravis infirmitatis; at in tali casu ea videtur danda post firmum propositum ad illam amplius non accedendi, & post exhibitum in re

signum aliquod hujus seriæ voluntatis, v. g. per dilacerationem litterarum, quas ab illa acceperit, & per amotionem alterius omnis extrinseci incitamenti ad illam, si quod habuerit.

§. II.

9. SI vero Confessarius vocetur ad infirmum qui graviter decumbat ex accepto vulnere, distinguendum est. Nam vel graviter ille decumbit domi suæ cum periculo quidem futuræ, sed non imminentis mortis; vel decumbit in loco, ubi accepit vulnus, cum periculo aut certo, aut dubio imminentis mortis. Si primum, erunt a Confessario observanda quæ dicta hactenus sunt de infirmo graviter laborante ob naturalem aliquem morbum. Si secundum, statim ac ad talem infirmum accessit Confessarius, eum hortetur, ut dolorem de offensis Dei habeat, & confiteatur sua peccata; deinde, semotis arbitris, curet, ut infirmus unum, vel alterum suum peccatum pro temporis opportunitate, & ratione periculi explicet, vel ipse eum interroget de uno, vel altero ex iis, quæ secundum statum ægrotantis in eo probabiliter locum habent, atque, eo annuente se illa commisisse, ac de iis se dolenter accusare, Absolutionem eidem impendat. Interim, dum hæc agit, præmonitos habeat, qui vel sanctissimæ Eucharistiæ, vel extremæ Unctionis Sacramentum ex Parochia adferri curent. Postea, si tempus suppetat, continuetur Confessio, donec integre fiat &c. Ita ex Suarez *de Pœn. disp.* 23. *sect.* 1. & ex Polanco *in cit. Method. cap.* 16. Advertas, quod, si sit periculum in mora ita, ut instet præsentissima mors, sufficiet, quod infirmus det signa pœnitentiæ, & Contritionis, ad hoc ut Confessarius præsens det illi saltem sub conditione Absolutionem, ex Toleto *lib.* 3. *cap.* 8. aliisque communiter,

10. Dubitabis, an Confessarius vocatus ad talem infirmum graviter decumbentem ex vulnere recens accepto, debeat statim illum monere, ut veniam det suo offensori, a quo vulnus accepit? ℞. Tamburinus ex Azorio, Filliuccio, Trullench *lib.* 5. *cap.* 5. *dub.* 5. non esse coarctandum offensum, ut statim ac injuria illata est, veniam dare teneatur, sed tunc satis esse, ut negative se habeat. Sufficiens igitur tempus prudentis Confessarii arbitrio elabatur, antequam fiat vulnerato talis monitio; est enim supra humanam fragilitatem, recenti vulnere, ne dum sedata animi perturbatione, offensum cogere ad positivam reconciliationem: certe cum ipse olim ad ejusmodi vulneratum accurrissem, eumque ad Contritionem hortarer, nescio quis de populo eidem dixit, ut veniam inimico daret; cui vulneratus reposuit infrendens ira & odio in suum offensorem, adeo ut difficile mihi admodum fuerit eum ad Absolutionem disponere.

§. III.


§. III.

11. Postremo si Confessarius vocetur ad infirmum ita affectum, ut videatur sensibus destitutus, ac brevi moriturus, interroget eum, qui vocavit, vel assistentes infirmo, an ille petiverit Confessarium, aut alia dederit signa pœnitentiæ (quæ sane in periculo mortis prævisio censeri debent data in ordine ad Absolutionem). Et, si respondeant affirmative, tunc Confessarius præsens infirmo existenti in eo mortis articulo impertiat Absolutionem saltem sub conditione. Ita ex communi apud Vivam, Dianam, aliosque, & ex Rituali Romano. Quod si negent dedisse talia signa saltem certa, tunc Confessarius appellet variis modis ægrotum, &, si opus sit, voce elata, ut excitet eum; &, si evigilabit aliquo modo, vel utcumque signum dabit, quod intelligat ea quæ dicuntur, eum hortetur ad pœnitentiam, & Confessionem: eoque annuente, interroget, seu proponat aliqua peccata, exclusis circumstantibus, quæ verisimile fuerit in ipso locum habuisse, &, si annuat ea admisisse, ac de iis dolere, det Absolutionem; quod si tempus non ferat fieri talem interrogationem, sed infirmus dederit Confessario signa certa pœnitentiæ, det Absolutionem saltem sub conditione &c. Ita la Croix cum aliis *l.6.p.2.num.*1156. At vero, utrum possit dari Absolutio sub conditione eidem infirmo, quando licet non constet, tamen prudenter dubitatur ex circumstantiis, quod vel præcesserit, vel de facto præstetur ab eo aliqua Confessio sensibilis? vid.la Croix *loc.cit.*& nos supra diximus *pag.86.*atque etiam dicemus breviter hic: unde

12. Dubitabis, an, quando Confessarius perspectam habet pietatem moribundi, possit eidem in extremis agenti, ac externis sensibus destituto dare Absolutionem sub conditione, etiamsi non constet, eum actualiter dare signa pœnitentiæ, aut petere Absolutionem, dummodo tamen id saltem dubie præsumi possit? ℞. Antiquiores fere omnes, ac plures recentiores stant pro sententia opposita: nihilominus plures alii recentiores videndi apud la Croix *loc.cit.* apud Cardenas *part.2.Crisis disp.*48. apud Vivam *in Thes.de Confess. & Absol.* §.1.1. docent partem affirmativam. Ratio illis est; quia non videtur irreverentiam irrogari tali Sacramento, si illud administretur sub conditione, quando prudenter dubitatur, aut præsumitur, infirmum signis externis illud expostulare quantum potest. Atqui, stante notitia de pietate moribundi, non imprudenter dubitari potest, an ille petat Absolutionem per illam anxiam respirationem consuetam moribundis, aut aliud sensibile signum non apparens Confessario. Ergo &c.

13. Certe a viris timoratis id vidi ad praxim deduci: at quidem non facile id usurparem, nisi urgente gravi necessitate, nempe quando infirmus sine prævia Confessione subito destitueretur sensibus, v.g. ex apoplexia, nec posset alio modo ille juvari in eo extremo. Cæterum, si jam antea in eo morbo fuerit confessus paucis ante diebus, atque aliis Ecclesiæ Sacramentis rite munitus, non ita facile id auderem; siquidem non potest negari, te-
nuem

nuem esse eam probabilitatem, qua judicatur, infirmum per eam anxiam respirationem &c. petere Absolutionem: tenuis autem probabilitas non sufficit ad operandum prudenter, nisi in casu urgentis necessitatis, quæ non videtur esse, quando infirmus omnia paucis ante diebus Sacramenta suscepit. Neque dicas, possibile esse, quod ille tunc indigeat; nam hoc nimis probat, siquidem omni momento posset indigere, & sic quolibet momento esset danda Absolutio. Adde, quod Rituale Romanum præscribens modum assistendi infirmis, nunquam meminit hujus Absolutionis dandæ sub conditione, nullo a pœnitente exhibito certo signo, postquam infirmus fuit expiatus Sacramentis: quod forte non omisisset, si fieri id posset, & esset adeo necessarium, ut contendunt nonnulli. Fateor tamen, consilium optimum esse, ut Confessarius in decursu morbi conveniat cum infirmo de signis ab eo dandis in extremo agone ad petendam Absolutionem; iisque ab eodem exhibitis, Confessarius assistens impertiat Absolutionem.



CON-

CONFESSARIUS RECIDIVI,

SEU

DE DANDA, VEL NEGANDA, AUT DIFFERENDA ABSOLUTIONE RECIDIVO,

OPUSCULUM VI.

§. I.

Quis sit, ac dicatur in acceptione theologica Recidivus?

1. Ecidivus apud Theologos Morales, abstrahendo ab occasione extrinseca, & scandalo, is est ac dicitur, *qui idem peccatum mortale pergit committere post propositum emendationis, postque plures peractas Confessiones eodem, vel majore numero lapsum*. Quamvis enim communiter dividatur Recidivus in simplicem, & consuetudinarium, notat tamen Gobatus *tract.* 7. *cas.* 16. Theologos, quando tractant, utrum impertienda sit, necne, Absolutio Recidivis? loqui ordinarie de consuetudinario, non autem de simplice; idest loqui de eo, qui frequenter relabitur post plures Confessiones, non de eo qui bis, aut semel intra aliquod notabile tempus relapsus est post unicam factam Confessionem, quamvis spectato etymo hujus vocabuli *Recidivus*, etiam iste in rigore talis dicendus sit. Constat hoc ex lectione talium Theologorum, ac præcipue ex Card. de Lugo *de Pœn. disp.* 14. *num.* 166. ubi Recidivitas sic describitur: *Frequens reincidentia in eadem peccata post multas Confessiones, absque ulla emendatione.* Quod sane videtur animadvertisse P. Paulus Segneri *in suo Christiano instructo p.* 3. *disc.* 22. ibi enim acturus doctrinaliter de Recidivis, profitetur, sermonem sibi esse de iis dumtaxat, quos priori loco nos exposuimus. Do ipsius Italica verba: *Io intendo di ragionare d'un' altra razza di Recidivi, e sono coloro, che dopo la Confessione tornano subito alle medesime colpe senza veruna emendazione, e senza veruno studio per emendarsi.* Id ipsum sentit religiosissimus & doctissimus vir P. Fr. Ludovicus Granatensis Ord. Præd. qui in sua Concione secunda *de Pœnit.* ubi docet, qualis sit pœnitentia falsa, sic habet: *Talis* (idest falsa) *eorum pœnitentia esse videtur* (notes, quos ipse Recidivos intelligat), *qui ubi primum scelera sua hoc tempore confessi fuerint, in eadem protinus relabuntur, neque de prava consuetudine, & licentia jurandi, pejerandi, mentiendi, detrahendi, maledicendi, maleprecandi, atque concupiscendi quidquam remittunt, nec ullum virtutis, ac pietatis officium amplectuntur, sed iidem omnino permanent, qui antea fuerunt.* Hactenus citatus religiosissimus Auctor. Quare tria requiruntur ad constituendum Recidivum in hac acceptione theologica: I. frequens relapsus post plures Confessiones. II. relapsus in eadem specie peccata: III. defectus omnis, etiam inchoatæ emendationis.

2. Et

2. Et primo quidem requiritur frequens relapsus post plures Confessiones; nam, si unica dumtaxat Confessio præcesserit unum, vel alterum relapsum, non proinde, inquit Platelius *num.* 327. communiter loquendo, sufficienter colligitur inefficacia præsentis doloris, ac propositi, ad negandam Absolutionem. Addas, nec inde præcise inferri, quod prior Confessio fuerit invalida; nam S. Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 10. *ad* 4. recte docet ex relapsu, idest ex eo *quod quis postea peccet vel actu, vel proposito, non excludi, quin prima pœnitentia vera fuerit*: saltem si non statim a Confessione fuerit relapsus. Propterea non loquuntur ordinarie Theologi de Recidivo juxta talem hypothesim.

3. Requiritur deinde relapsus in eadem specie peccata, quæ antea pœnitens confessus fuerat, nec sufficit relapsus in nova, ac diversa peccata; nam, ut optime notat Carena *part.*2. *tit.* 2. §.5. verbum *Recidivus*, seu *Relapsus*, considerando particulam *Re*, videtur referri ad actum reiteratum ejusdem speciei, *ex l. Verbum ff. de verb. signif.* Accedit, ex novis, ac diversis peccatis non resultare in Confessario judicium prudens de eo, quod pœnitenti defuerit verus dolor, ac propositum in priore Confessione, ut bene advertit la Croix *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 1731. Ratio est; quia ex relapsu frequenti in idem specie peccatum infertur quædam adhæsio voluntatis ad illud determinate peccatum: unde fit locus suspicioni, & aliquando etiam judicio, nisi contrarium aliunde colligatur, quod occulta aliqua peccati approbatio comitata fuerit, vel comitetur priorem, vel præsentem ejus peccati detestationem, atque idcirco hæc fuerit, vel sit respective insufficiens, & inefficax ad salutarem pœnitentiam. Secus contingit respectu relapsus etiam frequentis in novum, ac diversum peccatum; ex eo quippe non infertur ulla adhæsio voluntatis ad unum determinate peccatum, sed sola infertur voluntatis inconstantia in bono proposito, quæ non repugnat cum eo, quod quis olim rite proposuerit: etenim propositum sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, non exigit, ut ipsum sit efficax effective pro omnibus instantibus subsequentibus, sed quod sit ipsum pro instanti, in quo est, inconjungibile cum actuali animo unquam in posterum peccandi, & consequenter vi sua excludat pro eo instanti omnem prorsus affectum unquam peccandi, ut bene cum aliis ostendit Ulloa *de Pœn. disp.* 5. *cap.* 4. *n.*81. Hoc autem potuit verificari, etiamsi deinde quis denuo peccet, sive id fiat ob humanæ libertatis volubilitatem, sive ob novas occurrentes occasiones &c. Passim enim contingit etiam in aliis materiis, inquit citatus Auctor, *quod homines mutent voluntates, quas antea firmiter, & ex toto corde conceperant*. Addas, facile posse judicari eum hic & nunc serio redire ad cor, qui lapsus est, non quidem ex habitu in idem specie peccatum, sed ex passione in nova ac diversa: docet enim S. Thomas 1. 2. *q.* 78. *art.* 4. quod *passio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, cito transit, & sic homo cito redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato*. Quare ad Recidivum proprie talem, quando inquirunt Theologi, utrum danda, necne, sit Absolutio, requiritur relapsus in eadem specie peccata.

4. Postremo requiritur defectus omnis etiam inchoatæ emendationis; nam ex

ex tali defectu dubitant Theologi, utrum Recidivus absolvendus sit, necne: ac propterea inquiebat Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 4. *n.* 10. *Interdum vehemens est suspicio, & justa præsumptio, propositum emendandi simulatum, aut non sufficiens esse, si videlicet pœnitens post duas, aut tres Confessiones eamdem peccati speciem eodem, vel majore numero afferat, & NULLUS emendationis conatus antecessisse videatur*. Quod pariter docuit Reginaldus *in Praxi caf. consc. p.* 1. *q.* 12. ubi negat, Absolutionem impertiendam Recidivis, *quoties nulla emendatio, aut emendationis inchoatio* (sunt ejus verba) *præteritis vicibus extitisse observaretur*. Hic profecto Recidivus dubitationi locum facit de sua indispositione, ut optime advertit idem P. Fr. Ludovicus de Granata *loc. cit. Fateor*, inquit, *hanc certam fictæ Confessionis conjecturam, & argumentum non esse; fieri enim potest, ut vera quidem Confessio, & pœnitentia præcesserit, & tamen incautus homo, sibique parum prospiciens, partim prava prioris vitæ consuetudine perurgente, partim diabolo suggerente, in pristina statim vitia corruat. Sed frequentius tamen hoc provenire ex eo puto, quod talium Confessio fuerit (ut Theologi loquuntur) informis*. Hactenus P. Fr. de Granata. Unde cautus sit Confessarius in danda huic Recidivo statim Absolutione, nec illi eam impertiat, nisi vel post aliquorum dierum experimentum, vel saltem post verum dolorem, & propositum, quod ipsemet Confessarius cum Divina gratia in eo suscitaverit, propositis cum fervore & mansuetudine rationibus, quæ movendo ad pœnitentiam peccatori idoneæ fuerint: dignoscet autem Confessarius hunc in suo pœnitente verum dolorem ex ipsiusmet, quam facit, Confessione, scilicet spontanea, humili, obediente, & seria, in qua nempe pœnitens non sibi contradicat: observat quippe Doctor Angelicus *in suppl. qu.* 9. *art.* 1. sic: *Confessio, secundum quod est pars Sacramenti, sic ordinat pœnitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Ecclesiæ, qui per Confessionem conscientiam confitentis cognoscit*. Hæc de Recidivo primi generis.

5. Cæterum, si Recidivus fuerit alterius generis, nempe talis, qui, non statim, sed post tempus non breve in eadem peccata relapsus fuerit, conatum aliquem adhibuerit ad emendationem, qui demum peccatorum numerum imminuerit, tunc rationabile adesse fundamentum putant communiter Theologi de eo, quod ille sit hic & nunc rite dispositus, & capax Absolutionis (abstrahendo ab occasione extrinseca proxima, & a scandalo). Audiatur laudatus Layman *loco supra citato: Verumtamen Confessarius in tali homine, qui idem peccati genus, ad quod pronus solet esse relapsus, v. g. fornicationem, voluntariam pollutionem, blasphemiam, sæpius ad Confessionem adfert, attendere debet, utrum ille conatum aliquem emendationis adhibuerit, quod his signis cognosci poterit: 1. si post proximam Confessionem rarius, quam ante solebat, lapsus sit: 2. si mediis usus est, quæ ipsi contra peccati recidivam a Confessario imperata erant: 3. si occasiones extrinsecas peccandi, quas removere debuerat, & pollicitus erat, re ipsa amovit. Quod si talia præstitit, haud dubie absolvendus est*. Hactenus Layman, cui adhærent Card. de Lugo *de Pœn. disp.* 14. *sect.* 10. Sanchez *tom.* 1. *Summæ l.* 2. *cap.* 32. Platelius *de Pœn. a n.* 319. *& seq.* Gobat *tract.* 7. *cas.* 16. la Croix

l. 6. *p.* 2. *n.* 1734. Segneri in Opusculo qui inscribitur *Il Confessore istruito*, *cap.* 4. ac novissime duo graves Theologi, alter ex Ordine Minorum, alter ex Ordine Prædicatorum, scilicet P. Fr. Felix Potestas. *tom.* 1. *part.* 4. *num.*3668. & P.Fr. Ildephonsus Manrique, qui docet, absolvi posse blasphemum consuetudinarium, si eam consuetudinem curet emendare. His omnibus præiverant Navarrus *in Man. cap.* 10. Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *q.*4. Card. Toletus *l.* 3. *Summæ cap.* 18. *n.* 6. P. M. Fr. Ludovicus Lopez *in Instruct. Consc. cap.* 21. aliique quamplures, qui bene callebant Scripturas, & Patres.

6. Quare non assentimur Merbesio, aliisque ejusdem scholæ Doctoribus, qui, ut infra videbimus, exigunt integram, & stabilem emendationem, operibus pœnitentiæ, & charitatis antecedenter probatam, ad hoc ut Recidivus possit absolvi. *Non absolvendus est peccator* (inquit citatus Merbesius *pag.* 141.) *statim atque rarius in peccata, peccandi consuetudine, altius infixa cadit, in quæ tamen identidem relabitur: nam illi in peccata lethalia relapsus, etsi rariores, hunc hominem nondum in pristinam sanitatem restitutum esse, liquido declarant*: perinde ac si Sacramentum institutum a Christo pro mortuis sit jam suscipiendum a sanis, nedum a vivis.

7. Non assentimur itaque huic doctrinæ (quantum est ex obligatione, & necessitate Sacramenti); quia Christus Dominus non ita hoc Sacramentum instituit, ut conferretur soli non relapsuro, aut soli ei, de quo non timeretur futurus relapsus, sed voluit conferri dispositis, nempe legitime confessis, & habentibus actu sincerum cum vero dolore propositum, ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. *de Pœnit.* simulque præbentibus spem emendationis. Potest autem id totum haberi, etiamsi pœnitens non fuerit adhuc longo temporis experimento integre sanatus nec pravos habitus enervaverit, aut radicitus extirpaverit, unde timeatur, vel etiam prævideatur ex communiter contingentibus, illum esse relapsurum. Probo hoc; quia in primis pœnitens in eo etiam statu potest ex corde dolere, & sincere proponere, non enim illi deest libertas, nec sufficiens gratiæ auxilium ad eos supernaturales actus eliciendos: deinde, stante eo dolore ac proposito, spem facit emendationis; potest quippe Confessarius, attento hoc dolore ac proposito (dummodo sibi satis constet) sperare fore, ut ille absolutus primo rarius cadat, adeoque aliqualiter emendetur, inde emendetur penitus: experientia quippe docet, innumeros esse qui emendantur quidem, at non statim penitus emendantur, sed post aliquod spatium temporis, præsertim si Sacramenta frequentaverint: ergo etiamsi pœnitens non fuerit integre sanatus, nec pravas consuetudines, aliasque peccati reliquias omnino exuerit, potest hic & nunc esse rite dispositus, & capax Absolutionis.

8. Confirmo hoc ipsum ex Rituali Romano *in ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, ubi expresse fit sermo de Recidivo non adhuc integre emendato, eique in remedium præscribitur consulenda frequentatio Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. En verba: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solem*

solemnibus confiteantur, *&*, *si expediat*, *communicent*. Ergo ex Rituali Romano possunt Recidivi adhuc non integre sanati ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, idque illis utilissimum est, ut ab ipso Sacramento ad totalem ac stabilem emendationem roborentur. Hinc contra exigentes in pœnitente præviam illam integram sanitatem, argumentor sic.

9. Remedium a Christo ordinatum contra peccata futura, nulli illius capaci est de necessitate Sacramenti negandum. Atqui sacramentalis Absolutio est remedium a Christo institutum non solum ad delenda peccata præterita, sed etiam ad præcavenda peccata futura, & Recidivus adhuc non integre sanatus, aliquando est, propter dolorem ac propositum, illius capax. Ergo ea non est illi de necessitate differenda, vel neganda, quando dolet &c.

10. Quod si quis replicet, *sine prævia totali*, *ac stabili emendatione*, *operibus ad longum tempus comprobata*, *non posse Confessarium prudenter judicare suum pœnitentem esse dispositum*, *idest actu dolere*, *ac sincere proponere*, *ideoque non posse illum absolvere*; contra est: nam Confessarius potest id prudenter judicare ex eo, quod pœnitens non præcise ore proferat, ut olim dicebat propositio 60. inter proscriptas ab Innocentio XI. sed ex animo affirmet, se dolere, ac proponere, nec sit præsumptio in contrarium, quæ ejus affirmationem elidat; ita enim expresse docet S. Thomas *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *quæst.* 5. *ad* 2. ubi loquens S. Doctor de cognitione, qua Confessarius debet cognoscere pœnitentis dispositionem, sic habet: *Quantum ad hanc cognitionem*, *non potest majorem certitudinem accipere*, *quam ut subdito credat*; *quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius*: *unde in foro Confessionis creditur homini pro se*, *& contra se*. Intelligas, nisi sit præsumptio in contrarium. Non est autem præsumptio in contrarium, quando constat ex aliqua prævia emendatione, ex aliquo conatu ad novam vitam, pœnitentem non amplius diligere suas miserias, velle laqueos pravæ consuetudinis exuere, & idcirco vires uberiores ad id præstandum quærere ex susceptione Sacramenti. Tunc certe habet locum doctrina Angelici Doctoris: ac propterea Suarez illi inhærens *tom.* 2. *de Relig. tract.* 5. *lib.* 3. *cap.* 8. loquens de Recidivo, dixit: *De quo proposito credendum est pœnitenti*, *non obstante quacumque præcedenti frequentia*, *& inconstantia*. Hoc tamen totum velim intelligas, quantum est ex obligatione, & necessitate Sacramenti, ac spectato dumtaxat in Confessario munere Judicis; non enim inficior, spectato medici munere, obligari aliquando, sed raro, Confessarium differre Absolutionem, etiamsi cognoscat pœnitentem dispositum, idest actu dolere ac proponere; aliquando, nec raro, esse consilium eam differre, quod pendet ex Confessoris prudentia, teste Sanchez *in Decal. l.* 2. *cap.* 32. His præmissis, prævio veluti quodam prolegomeno, superest, ut rem hanc ipsam paulo latius tractemus, indicando contrarias inter se recentiorum Doctorum sententias, & significando, quænam ex illis magis nobis placeat.

§. II.

Quid, & quomodo agere debeat Confessarius cum Recidivis, juxta nonnullos Auctores, qui scripserunt sæculo XVII. jam elapso, & sæculo XVIII. adhuc labente?

11. Postquam vidimus, quis, & qualis sit Recidivus in acceptione theologica, quando tractatur, utrum danda, vel neganda sit illi Absolutio; superest videre, quid, & quomodo agere debeat cum illis Confessarius, si eorum aliquis ad ejus confessionale accesserit. Profecto Auctores aliqui, qui scripserunt circa medium sæculum XVII. jam elapsum usque ad hæc nostra tempora, severe admodum agere volunt cum illis Confessarium. Nam in primis generatim negant, fas esse absolvere quemlibet pœnitentem statim a Confessione, sed cuilibet differendam Absolutionem ad aliquod tempus. Hinc dictitant: *Praxis mox absolvendi post Confessionem criminum, est praxis & Moralis diabolica*. Ita apud Ægidium Gabr. *in Mor. pag.* 154.

12. Deinde ajunt, semper, aut ordinarie differendam esse Absolutionem Recidivo, ex eo præcise quod sit Recidivus, donec notabili tempore a peccato, in quod aliquoties reincidit, abstinuerit; putant enim, ex recidivitate necessario inferri, non fuisse veram priorem conversionem: de ratione siquidem veræ conversionis docent esse stabilitatem, & constantiam, aut certe non aliunde illam nobis innotescere, nisi per stabilem, & constantem emendationem. Ita apud Juenin *diss. 6. q. 7. cap. 4. art. 7.* ubi de consuetudinario, & in terminis Opstraet *pag.* 204.

13. Postremo docent, negandam omnino esse Absolutionem Recidivis consuetudinariis, qui non adhuc sustulerint, aut certe enervaverint pravos habitus, & pravam consuetudinem, ac tamdiu illos inabsolutos relinquendos, quamdiu non ita vixerint, ut affirmari possit: *vitam mutarunt, liberi sunt ab omni pravo habitu, & consuetudine*: quod sane plurium mensium, aut etiam plurium annorum opus est, ipsomet talium Doctorum judicio. Ita apud Juenin *loc. cit.* Addunt, quod pœnitens, cum ex se judicare nequeat, quandonam pravam consuetudinem vel sustulerit, vel debilitarit, debet quidem redire ad Confessarium, non tamen certo absolvendus, etiamsi per aliquot hebdomadas in idem peccatum non reinciderit, & in actibus Fidei, Spei, & Charitatis se exercuerit, sed iterum audiendus, an se bene gesserit. Ita apud Genet *de Pœn. tract. 6. cap. 7.* & apud Opstraet *in Past. bono pag.* 204.

14. P. La Fontein ad propositionem LXXXVII. inter proscriptas a Clemente XI. originem severioris hujus doctrinæ refert ad fontes valde lutulentos; sic enim ipse scribit *cap. 18. Inquirendum superest, quibus potissimum progenitoribus hic sive error, sive rigor in lucem editus esse videatur:* ac statim subdit: *Primus est Petrus de Osma, cujus opinio, ut supra meminimus, hæreseos damnata est a Sixto IV. anno* 1479. *Bulla, quæ incipit Licet ea &c. Pontificis sententiam præcesserat judicium Synodi Complutensis: quo gemino error percussus anathemate, emortuus mansit, donec resuscitari*

cœpit

cœpit ab infami apostata Marco Antonio de Dominis lib. 5. de Rep. Christ. cap. 7. num. 29. & seq. cujus vestigiis insistere non puduit Quesnelli Magistrum Antonium Arnaldum lib. de freq. Comm. p. 2. a cap. 7. usque ad 19. &c. Hactenus P. la Fontein *loc. cit.*

15. Verum, quidquid de hoc sit, & quidquid etiam sit, utrum Auctores omnes recentis hujus scholæ easdem expresse asserant conclusiones, illud videtur certum, doctrinam de differenda pœnitentibus, ac præcipue Recidivis, Absolutione, omnibus hisce esse communem; quandoquidem omnes eadem stabiliunt principia de difficultate veræ conversionis, de illatione falsæ conversionis ex relapsu, de firmitate ac stabilitate justificationis, & ejusmodi.

16. Contra hanc doctrinam, generatim & universaliter traditam, quo ad negandam, vel differendam pœnitentibus Absolutionem, stant duo Decreta Romanorum Pontificum, alterum nempe Alexandri VIII. alterum Clementis XI. siquidem

17. Alexander VIII. inter propositiones a se proscriptas hanc damnavit *num.* XVII. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.*

18. Clemens XI. hanc aliam proscripsit *num.* LXXXVII. *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & Contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Cujus sane propositionis consectaria, & pessimas inde consequentias ingenti cum animarum detrimento, fuse ac docte exponit citatus P. la Fontein *loc. cit.* quem videas, si lubet.

§. III.

Quid, & quomodo agendum sit Confessario cum Recidivis, juxta ferme communem aliorum Doctorum sententiam.

19. Communiter ferme Doctores omnes, aliter agendum esse a Confessario cum Recidivis, hactenus tradiderunt, ac tradunt. Equidem proferam primo eorum doctrinam veluti in compendium redactam a R. P. Fr. Ildephonso Manrique ex Ordine Prædicatorum: deinde eam specialem, & enucleatam praxim agendi cum Recidivis ostendam, quam scriptis consignarunt ad Confessariorum instructionem gravissimi quatuor viri, de quorum integritate, scientia, ac notitia tum Scripturarum, tum Conciliorum, ac Patrum, nemini crediderim esse dubium. Hi sunt eximius Suarez, Eminentissimus de Lugo, P. Paulus Segneri, & Illustrissimus Episcopus Abelly. Agesis porro.

20. Synopsis quædam totius doctrinæ de modo agendi cum Recidivis, strictim & paucis, sed clare ac solide habetur apud P. Fr. Ildephonsum Manrique. Hic in sua nupera Summa morali Romæ edita *anno* 1726. sic loquitur: *Sunt ne absolvendi, qui ex mera fragilitate* (intelligas, sine extrinseca occasione proxima) *in eadem peccata sæpe relabuntur? Respondeo. Certum est, etiam præcise loquendo, Absolutionem illis dari posse toties, quoties in*

in ipsa peccata relabuntur, dummodo cum vera Contritione, & firmo proposito non amplius peccandi ad pœnitentiam accedant, ut declaratum fuit in Trident. sess. 14. c. 3. quia, ut ait Navarrus in Manuali c. 3. frequens peccati recidiva non est semper argumentum necessarium, quo judicari possit, pœnitentiam, seu Contritionem non esse veram; sed est tantummodo maximæ fragilitatis, & inconstantiæ: nec ad recipiendam Absolutionem requiritur, ut pœnitens non amplius in futurum peccet, sed ut amplius peccare nolit. Dico secundo. Quamvis hæc ita se habeant, nihilominus debet Confessarius prudenter attendere, non tantum quid absolute loquendo possit, sed potius quid sit ipsi pœnitenti magis conveniens & aptum; multa enim licent, quæ aliquando non expediunt. Debet igitur coram Deo attente considerare, num frequens usus Confessionis talibus personis utiliter suaderi possit, ut earum fragilitati consulatur, & voluntatis infirmitas ac ægritudo, crebra hujus Sacramenti susceptione, quasi remedio sæpius iterato, sanetur: num e contra frequens Confessionis usus illis nocivus sit, v. g. si inde sumant occasionem peccandi liberius, si potius ex consuetudine, quam ex vero Contritionis motivo, aut emendationis proposito ad pœnitentiæ tribunal accedant: unde pro ratione dispositionis pœnitentis poterit illum interdum Absolutione privare, vel in aliquot dies differre, & interim pia opera illi injungere, vel ipsum de frequentia hujus Sacramenti admonere. Quæ omnia potius ex interiori Spiritus Sancti illustratione, & diuturna in administratione hujus Sacramenti experientia, quam ex certis regulis, aut præceptis, dignosci possunt.

21. Hactenus P. Manrique recte compositeque communem Doctorum hac super re doctrinam in breve coegit. Huic præiverat P. Bartholomæus Fumus *in sua Summa*, vulgo *Armilla*, *v. Confessio*, ubi indefinite ait: *Recidivantes non tenentur reiterare Confessionem, secundum Thomam 4. Sentent. dist. 22. q. 1. nisi forte per accidens, ut Confessarius aliquod remedium, vel pœnitentiam confitenti adhibeat*. Præiverat etiam laudatus P. Fr. Ludovicus Granatensis, qui *in citata supra Concione 2. de Pœnit.* loquens de peccatore pravis habitibus, & inveterata consuetudine involuto, fatetur quidem, hunc facere fictæ Confessionis conjecturam, & argumentum; addit tamen, fieri posse, ut vera Confessio, & pœnitentia præcesserit, & tamen incautus homo, sibique parum prospiciens, in pristina statim vitia corruerit. Ex quibus plane constat, peccatorem recidivantem ex mera fragilitate, etiam ex consuetudine, & pravis habitibus (abstrahendo tamen ab occasione proxima extrinseca), non statim & necessario ex vi precisæ recidivationis judicandum esse indispositum, & cogendum ad repetendas anteriores Confessiones.

22. Specialis nunc praxis exhibenda, quam illi quatuor supra citati gravissimi Auctores late ac distincte ad Confessariorum informationem accurata admodum ac minuta diligentia proposuere. Et primo quidem P. Franciscus Suarez *tom. 2. de Relig. tr. 5. lib. 3. cap. 8. in fin.* agit de dispositione requisita, & de modo disponendi ad sacramentalem Absolutionem Recidivum consuetudinarium in perjuria, idque generale esse ait ad alios quoslibet Recidivos consuetudinarios, *loc. cit.* ubi sic: *Denique*, inquit, *quod ad dispositionem spectat, tota difficultas est in vero proposito, & remedio contra talem consuetudinem: nam sine*

sine dubio necessarium est propositum tollendi illam, & vitandi tale periculum, quia pertinet ad statum peccati mortalis, ut ostensum est. Quia vero propositum hoc solet esse valde instabile, & consuetudo quodam modo transiit in naturam, & ita periculum est quasi intrinsecum, & naturale, ideo difficile est judicare, quando sit sufficiens. Verumtamen difficultas generalis est ad alias consuetudines peccandi, quæ difficillimam reddunt peccati correctionem, maxime quando non pendet lapsus ex occasione extrinseca, sed quasi ex innata fragilitate, & infirmitate. Primum ergo supponendum est propositum absolutum, & de se efficax emendandi consuetudinem, & non jurandi, nisi cum magna consideratione, & veritate: de quo proposito credendum est pœnitenti, non obstante quacumque præcedenti frequentia, & inconstantia ejus; quia, sicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum, & ipse est sui accusator, defensor, & testis. Supposito autem tali proposito, observandum est, ut, si homo habet aliquas externas occasiones moraliter inducentes illum ad temere jurandum, illas auferat, alioqui non sufficienter disponetur, si proximæ sint, & sine magno incommodo auferri possint. Deinde, si sæpius proposuit emendari, & non fecit, adhibenda sunt remedia convenientia, quæ ipse tenebitur acceptare judicio Confessoris, qualia sunt, frequentius confiteri, aliquam eleemosynam, vel orationem brevem facere pro singulis juramentis temere prolatis, vel similia. Denique, si hæc non sufficerent, interdum erit utile differre Absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentius vigilare, & contrariam consuetudinem aliquo modo inchoare. Et in his non est scrupulose procedendum, sed, facta morali diligentia, illa cum proposito censeri debet sufficiens; quia non oportet, ut Confessor judicet illum non amplius pejeraturum, sed satis est, quod judicet, illum in præsenti habere tale propositum, & facere, quod moraliter potest, ut efficax sit: nec hujusmodi humanæ infirmitates efficacius curari ab homine possunt. Hactenus eximius Suarez.

23. Audiatur nunc Eminentissimus Card. de Lugo, qui *disp.* 14. *sect.* 10. *n.* 166. hæc habet: *Restat ergo nunc, ut dicamus aliquid de illo ultimo puncto, seu ultimo capite cognoscendi defectum propositi efficacis, nempe ex frequenti reincidentia in eadem peccata post multas Confessiones absque ulla emendatione: in quo puncto doctrina communis, & vera est, si Sacerdos hic & nunc, non obstante consuetudine præterita, judicet, pœnitentem habere verum dolorem, & propositum non peccandi, posse eum absolvere; quia dispositio sufficiens est dolor, & propositum præsens, non emendatio futura: atque ita poterit absolvi, licet judicetur relapsurus. Secundo certum est, quando Sacerdos, attenta consuetudine præterita, & propensione, aliisque circumstantiis, judicat, pœnitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque pœnitens dicat, se dolere; quia, si Sacerdos id non credit, non habet judicium requisitum ad conferendam Absolutionem. Tertio ad judicium ferendum de dispositione præsenti deservit, si peculiaria signa doloris ostendit, item si jam adhibuit curam aliquam ad consuetudinem extirpandam, si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem, nunc autem admonitus, libenter ea suscipit, & proponit adhibere ea media. Denique aliquando utile erit differre Absolutionem per aliquot dies,*

dies, ut appareat correctio, & observatio propositi. In hoc conveniunt Auctores communiter, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 2. in decalog. cap 32. num. 45. & lib. 3. cap. 5. num. 18. Suarez tom. 2. de Religione tr. 5. lib. 3. de juramento cap. 8. in fine, Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 18. n. 87. Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 24. num. 4. & alii, quos ipsi adducunt. Hucusque Card. De Lugo.

24. Tertio P. Paulus Segneri Theologus Sac. Pœnitentiariæ, & Sac. Palatii Apostol. Concionator, in suo aureo Libello, qui inscribitur *Il Confessore istruito*, quique ab Italiæ Episcopis ad usum suarum respective diœcesum sæpius typis consignatus, Parochis, & Confessariis commendatus est, hæc docet *cap. 4.* loquens de Recidivis: *Se voi prudentemente stimate, che alcuno d'essi abbia proposito vero di mutar vita, voi potete a lui dare l'Assoluzione, ancorchè temiate, che debba facilmente tornare al vomito, e ancorchè sappiate, che come cane putridissimo vi è già per addietro tornato, non una volta sola, ma molte, e molte. La ragione è, perchè la risoluzione presente che ha di emendarsi, è materia del Sacramento, non è la emendazione futura, che col favore Divino pur è possibile ancor ad un incostante.* Potens est enim Deus, *come l'Apostolo dice*, statuere illum. *Ma se per contrario a voi paja, che alcun di loro non detesti la colpa con efficacia, e che posseduto da' suoi tirannici affetti o d'interesse, o d'impurità, o di furore, non volga quanto dovrebbe il suo cuore a Dio, allora non vi è permesso d'assolverlo in modo alcuno, non ostante ch'egli asserisca d'essere contrito: de Lugo de Sacram. Pœn. disp. 14. sect. 10. num. 166. Perchè in questo Tribunale voi siete il Giudice, e però a voi si appartiene ancor giudicare, chi sia disposto, senza rimettervi in questo al detto del reo, a cui ben dovete credere, come a quello, che ancor è testimonio, ma non allora che una più forte presunzione del fatto si oppone alla protesta delle parole: Ant. Perez de Pœn. disp. 3. cap. 4. num. 64. Convnch de Sac. Pœn. disp. 8. dub. 17. num. 132. Ma qui sta tutto il punto, direte voi, avere qualche regola buona d'assicurarsi, quando si debba alle promesse di costoro dar fede, e quando negare. Rispondo: se un tal peccatore nell'accusar se medesimo mostra segni di dolore non ordinario; se viene a confessarsi, non per usanza che n'abbia, ma per trovar rimedio a quella sua colpa, che fuor dell'uso lo inquieta; se porta con esso se qualche emendazione, o se almeno egli ha posto qualche sollecitudine, qualche studio, per emendarsi; se non essendo stato avvisato altre volte del suo mal grave, adesso riceve in bene l'ammonizione, che voi gli fate, e si risolve di usar quei preservativi che voi gli prescriverete a non ricadervi: in tutti questi casi dovete credergli, e così prosciogliերlo ancor come disposto: de Lugo loco cit. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 10. Ma se per contrario non vi reca avanti nessuna di queste disposizioni, ma più tosto una soma di scelleraggini più eccedente, senza risentirsi del peso, e senza punto però pensare a scuoterlo, nè a scemarlo, con che prudenza lo giudicherete voi per contrito?*

25. Demum, ne quisquam contra tres ultimos Doctores excipiat tanquam Jesuitas, idcirco illis adjungo e Clero Gallicano Illustrissimum Episcopum Ruthenensem Ludovicum Abelly, qui in suo *de Pœnitentia* tractatu sic

ſic habet: *In primis certum eſt, denegandam eſſe Abſolutionem iis, qui ſtatum peccati relinquere nolunt, quales ſunt, qui nolunt inimicis reconciliari, reſtituere alienum, cum poſſint &c. ſimiliter etiam iis, qui nolunt occaſiones proximas peccandi relinquere, cum poſſint, & debeant: tales ſiquidem non cenſentur veram Contritionem habere de peccatis commiſſis, aut verum propoſitum de peccatis in poſterum non committendis. Quod vero ſpectat ad eos, qui ex mera fragilitate* (intelligas, abſtrahendo ab occaſione proxima, & aliis, quæ faciunt præſumptionem de indiſpoſitione) *in eadem peccata ſæpe relabuntur, certum eſt, etiam præciſe loquendo, Abſolutionem illis dari poſſe toties, quoties in ipſa peccata relabuntur, dummodo cum vera de illis Contritione, & firmo non amplius peccandi propoſito ad Pœnitentiam accedant: declaratur enim in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 2. pœnitentes per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ad Pœnitentiæ tribunal confugerint, poſſe ab admiſſis peccatis liberari. Et Navarrus in Manual. cap. 3. loquendo de perſonis illis, quæ ſunt in proxima peccati occaſione, quam tamen ob aliquam cauſam rationabilem relinquere non poſſunt (quam quidem cauſam, utrum talis revera ſit, ſerio expendere debet Confeſſarius) dicit, perſonas illas poſſe, ſi reciderint, abſolvi, non tantum ſemel, bis, vel ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties &c. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, debet Confeſſarius prudenter attendere non tantum quid, abſolute loquendo, poſſit, ſed potius quid ipſi pœnitenti ſit magis conveniens & aptum; multa enim licent, quæ aliquando non expediunt .... Itaque pro ratione diſpoſitionum illarum pœnitentes ipſos utiliter interdum poterit privare beneficio Abſolutionis, vel illud in aliquot dies differre, & interim pia, & religioſa quædam opera, & pœnitentiæ exercitia ipſis injungere &c.* Hæc habent graves hi Doctores: quibus, aliiſque, uno commemorato Filliuccio, adhærebat Auctor Opuſculi, cujus titulus *La Pratica di Confeſſare*, Aſculi primum de mandato illius Epiſcopi, deinde Venetiis editi *anno* 1737. ubi is monet, non oportere, ut Confeſſarius ſit exceſſive difficilis in danda Abſolutione Recidivis habentibus verum dolorem, ac propoſitum.

26. Iidem etiam allegati Doctores, aliique conveniunt in eo, quod Recidivi, qui dicuntur labi ex vi præciſe ſolius habitus, non idcirco cenſeantur labi neceſſario, & ſine libertate indifferentiæ: nam, quod quis peccet ex vi præciſe ſolius habitus, non eſt, quod peccet indeliberate; etenim *ipſa etiam conſuetudo*, ut docet Suarez *de jur. cap. 7. dat facultatem ex parte intellectus ad apprehendendum, & deliberandum*: & S. Thomas 1. 2. *q.* 78. expreſſe docet, quod peccata ex habitu, ſunt peccata ex certa malitia, ideſt, ait Baldellus, ex certa notitia, & advertentia malitiæ. Quocirca peccare ex vi præciſe ſolius habitus, eſt, quod quis peccet ſciens & volens, nulla tamen paſſione allectus, nec ab externo aliquo motus, ut notat Vaſquez *in* 1. 2. *q.* 79. *art.* 2. & 3. ſed unice ex impulſu habitus, cui poteſt phyſice & abſolute reſiſtere, ſi velit; eligit enim ipſe peccatum. Quare nulla prorſus apparet læſio libertatis. Nec quiſquam replicet, hanc poteſtatem reſiſtendi intelligi homini ſublatam, quando is peccat ex vi præciſe ſolius habitus in circumſtantia, qua ille antecedenter fecerit quantum in ſe erat ad

eum habitum evellendum, & nunc proponat facere quantum in se est ad ipsum vincendum. Non, inquam, id quisquam replicet; nam ex eo quod is peccet, qui ante lapsum conatus fuerat quantum poterat ad evellendum habitum, & nunc post lapsum proponit facere quantum potest ad eum vincendum, infertur quidem, quod habitus, seu prava dispositio ad peccandum, sit illi hic & nunc involuntaria, nec reputetur tanquam dispositio libera, sed necessaria; infertur etiam, quod ea consuetudo versa sit quodammodo in naturam, nec jam sit in potestate hominis illam tam cito extirpare, ut bene advertit Suarez 1. 2. *disp.* 3. *de volunt. sect.* 3. at nullatenus infertur, quod physice & absolute nequeat homo resistere, si voluerit, impulsui, & inclinationi talis habitus, seu pravæ talis dispositionis: nullus siquidem obex positus est, qui antecedenter impossibilitet voluntati talem resistentiam. Hinc late atque erudite Raynaudus *tom.* 3. *Mor. dist.*2. *q.* 3. *art.* 4. *pag.* 326. ostendit, ex nullo habitu acquisito, etiam intensissimo, etiam confirmato, lædi libertatem indifferentiæ: *Quia efficacia*, inquit ipse, *habitus advenientis voluntati, hoc non fert, cum non consumat, nec minuat vim innatam libertatis, sed tantum conferat illi facilitatem eliciendi actum, posito quod ipsa ad operandum se determinet*: &, ut docet Suarez 1.2. *Metaph.disp.*14. *sect.*4. aliquo modo, utique non irresistibili, inclinet illam ad se determinandum.

27. Cæterum hic modus loquendi: *peccare ex vi solius præcise habitus: pertrahi ad illicita ex solo habitu: compelli ex prava consuetudine ad malum &c.* non est modus loquendi novus, & inusitatus apud Patres, & Theologos, ut docet Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. sed valde usitatus; & per talem loquendi modum non significatur, quod vere & proprie fiat vis, aut vere compellatur voluntas ab habitu, sed solum significatur, quod voluntas alioquin non vellet, non operaretur, non peccaret, nisi adesset habitus. Hoc autem qua ratione fiat, optat S. Bernardus *Serm. de septem donis Spiritus Sancti*, ab omnibus ignorari. Verba sancti Doctoris hæc sunt: *Quemadmodum misera nimium, & miserabilis humana fragilitas sine pruritu concupiscentiæ, aut impetu desiderii SOLA CONSUETUDINE IPSA ad illicita trahatur, utinam omnibus liceat ignorare.* Explicasse id videtur Suarez *tom.* 2. *de Relig. l.* 3. *cap.* 7. ubi ex Scoto advertit, sæpe ex consuetudine & habitu provenire, ut homo citius deliberet, quam si habitum non haberet: ex quo contingit, ut qui adhuc retinent habitum vitiosum, quamvis antea detestati fuerint peccata, imo etiam nunc cupiant ex animo emendationem, tamen in aliqua temporis circumstantia, oblata occasione, relabantur in idem peccatum, non quia impellantur impulsu irresistibili, nec quia non satis advertant illiceitatem actionis, sed quia subito deliberant, quod non facerent, nisi habitum haberent. Proinde in hoc sensu verificatur, quod ii trahantur a sola consuetudine, quod compellantur, quod peccent ex vi solius præcise habitus, idest quod non operarentur, non peccarent hic & nunc, nisi haberent habitum, siquidem maturius considerarent rationes retrahentes, ac serius deliberarent. Quod optime expendit etiam P. Segneri *in suo Christiano instructo p.* 1. *disc.* 1. *n.* 6. En verba: *Ora quest'abito malvagio siccome nasce da molti peccati già fatti, così ne presagisce ancora molti da farsi*

farsi nell'avvenire: e la ragione è, perchè egli accresce prima le tenebre della nostra ignoranza &c. Hinc quis cito & facile deliberat & eligit quod malum est, etiamsi advertat illicitum esse.

28. Non est itaque, cur redarguatur Auctor præfati Libelli *Pratica di Confessare*, veluti Jansenismum sapiat, propterea quod supposuerit, Recidivos aliquando peccare *ex vi præcise solius habitus*. Utique non errarent Janseniani, si solum id docerent: & valde miror, Recentiorem hunc redarguentem, hac in re plus æquo sollicitum esse de libertate indifferentiæ, cum ipse docuerit *justificationem Christianam infusam per Sacramentum Pœnitentiæ esse* (ita *pag.* 182. *&* 183.) *firmam, constantem, ac stabilem, ideoque communiter non contingere, ut vere justificatus relabatur, &, si id contingat* (nescierim, qua vi, aut impulsu), *illum statim inter gemitus, & pœnitentias resurgere*: quod profecto utrum, & quatenus cohæreat cum Scripturis, cum Tridentino, & cum ipsa libertate indifferentiæ, judicium sit penes alios. Certe Calvinianus error de firmitate, & inamissibilitate justificationis, omnibus illis non adversatur. Videatur Bellarminus *de Justif. cap.* 14. & Suarez *de Gratia lib.* 11. *cap.* 1. ubi invenies, justificationem infusam, idest gratiam sanctificantem, & charitatem, in statu viæ esse corruptibilem ex parte subjecti, licet de se non habeat principium corruptionis; & contrarium asserere, esse obnoxium errori primum Joviniani, ac deinde Calvini: unde infertur, non recte affirmari, justificationem infusam esse absolute stabilem, firmam, & effective efficacem ad excludendum peccatum pro instantibus subsequentibus. Veritas dumtaxat ea est, quod justificatio infusa non habeat de se principium corruptionis, & quod qui eam habet, non possit, ea retenta, peccatum lethale committere; non enim potest quis simul esse justificatus, & prævaricator, ut bene monet Bellarminus *loc. cit.*

§. IV.
Quænam ex relatis his duabus diversorum Doctorum sententiis in praxi tenenda sit?

29. Valde diversus est modus agendi cum Recidivis, quem præscribunt Doctores prioris sententiæ, ac sit modus cum iisdem agendi, quem tradunt Auctores posterioris nuper recensitæ opinionis, ut perspicuum unicuique est. Etenim illi generatim volunt dilationem Absolutionis, & non raro per menses, & annos: hi vero pœnitentes ex pravis habitibus, & longa consuetudine ad vitia inclinatos, aut relapsos, si veri dent signa doloris, ac propositi, capaces Absolutionis existiment, eosque nec semper, nec ad longum tempus inabsolutos dimittant. Quænam igitur in praxi ex his tenenda sententia est?

30. Respondeo, meum non esse legem ferre. Hoc unum dumtaxat dico. Ex duabus relatis sententiis placet hæc posterior Suarez, Card. de Lugo, P. Pauli Segneri, ac Illustrissimi Abelly, aliorumque quos citavi, quam, ut supra referebam, in compendium redegit P. Fr. Ildephonsus Manrique Dominicanus Antiprobabilista, quamque ipsemet hic brevissime tribus

propositionibus complector: videlicet I. Recidivos, quantum est ex obligatione, & necessitate Sacramenti, (abstrahendo ab occasione proxima & scandalo) posse statim absolvi toties, quoties ipsi actu vere doleant, ac proponant, spem faciant emendationis, ac legitime confessi fuerint: II. tunc prudenter judicari a Confessario, eos vere actu dolere, ac proponere, atque idcirco spem facere emendationis, quando ipsi, non ore dumtaxat, sed ex animo dixerint, se dolere, ac proponere, & nulla fuerit præsumptio in contrarium, eorum dictum elidens, uti non est, quando aliquam attulerint vitæ emendationem, vel conatum aliquem ad emendationem adhibuerint, juxta Layman, aliosque citatos: III. consilium esse, spectato munere Confessarii serviendi majori utilitati animæ pœnitentis, differre Recidivis quantumvis dispositis ad breve tempus Absolutionem, quando discretus ac prudens Confessarius eam dilationem ad id judicaverit opportunam. Addo, præceptum videri esse, eamdem differre iisdem, quando Confessarius prudenter existimet, Absolutionem, statim & faciliter impertitam, futuram esse per accidens occasionem pœnitenti, ut iterum relabatur, vel quando prævideat, dilationem esse medium hic & nunc unicum ad ejus emendationem.

31. Placet, inquam, posterior hæc sententia; tum quia communissima ea est inter Theologos; tum quia plurium sæculorum usu ac praxi, teste Francolino *lib. 3. de disc. Pœn.* ea est in Ecclesia Dei firmata; tum quia opposita sententia docens generatim differendam Absolutionem cuilibet pœnitenti, item differendam semper, vel ordinarie Recidivo, ex eo præcise, quod sit Recidivus, item Recidivis consuetudinariis differendam omnino Absolutionem esse, donec ipsi pravos habitus exuerint, & integre ac perfecte fuerint emendati: hæc, inquam, sententia valde displicet, propter gravissima inconvenientia, quæ inde derivari, late ac solide demonstrat la Fontein *ad proposit.* 87. inter proscriptas a Clemente XI.

32. Verum, ut id, quod est, ingenue fatear, idcirco præcipue placet posterior illa Suarez, Segneri &c. sententia, quia sanctissimi viri, procurandæ animarum saluti quammaxime dediti, hanc in praxi adhibuerunt. Antiquiores, S. Chrysostomum nempe, S. Malachiam, S. Medardum, S. Dunstanum, aliosque, qui pœnitentibus etiam relapsis statim, aut certe non longum post tempus, Absolutionem sacramentalem impertiebant, piget hic referre; nam facile est eos videre, si lubet, apud P. la Fontein *ad prop.* 87. inter proscriptas a Clemente XI. Recentiores aliquos proferam, qui proximis superioribus temporibus floruerunt. Et in primis

33. S. Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus, non solum benigne excipiebat sceleratissimos quosque, etiam relapsos, & consuetudinarios, sed eos rite dispositos aut statim, aut certe post aliquot dies absolvebat. Hinc Religiosum sibi socium in administratione Sacramenti Pœnitentiæ erudiens; docet, utile plerumque esse Recidivos, & consuetudinarios non continuo absolvere, sed agere cum illis, ut boni consulant per duos tresque dies piis commentationibus vacare, & hac ratione ad fructum uberiorem ex Confessione suscipiendum se disponere. Ubi notes, non docere, id esse necessarium ex obligatione, & necessitate Sacramenti; imo oppositum a se existimari

mari facto ipso ostendit: cum enim navigationem ipse suscepisset, id dumtaxat spectans, ut perditum ac facinorosum militem Christo lucrifaceret, postquam inter navigandum comitate ac benevolentia sibi eum devinxerat, sciscitatus ab eo est, quamdiu a sacra Confessione abstinuerit? Cui ille, *plurimos jam annos in flagitiorum cœno hærere se ait sacræ Confessionis expertem* (sunt hæc historici Tursellini verba *lib. 3. cap. 15.*), *magis id adeo aliena culpa, quam sua; quippe ante classis profectionem, sibi certum fuisse conscientiam tot flagitiis, & sceleribus exonerare, sed confesso ABSOLUTIONEM a Vicario NEGATAM; nec jam spem ullam salutis ostendi. Tum Franciscus, medicus animorum unicus, mirari se dicit tantam illius Vicarii SEVERITATEM, si quidem ipse rite confessus esset. Inde bono illum animo esse jubet, faciles se aures daturum pollicens, ac monito, ut peccata omnia ab ultima pueritia, quoad ejus consequi posset, in memoriam revocaret, facilem, commodumque præscribit modum. Quod ille ad spem salutis erectus per aliquot dies fecit libenter, sedulòque &c. Multis ergo in terram egressis, Franciscus quoque cum milite descendit. Ibi remoto ab arbitris loco operam dare confitenti cœpit. Et veram esse pœnitentiam ostendebant crebri gemitus, ac lacrymæ Confessionem subinde interpellantes. QUA tandem peracta, Franciscus eum ABSOLVENS, Pater, & Ave semel orare jussit, se de cætero pro illo satisfacturum Deo.* Ubi vides, sanctum virum non expectasse, ut pœnitens per longum temporis spatium suam operibus conversionem probaret, non distulisse Absolutionem, donec ille integre emendatus appareret &c. Vides etiam, ex negata, vel dilata Absolutione illud non raro evenire, quod huic militi contigerat, ut nempe sic rejecti, vel dimissi, amorem Sacramentorum, suæque salutis, veluti desperantes, amittant.

34. S. Philippus Nerius in curandis animi morbis, & in extrahendis e peccatorum cœno hominibus peritissimus, Recidivos, & consuetudinarios, non semel ad rectum salutis iter stabiliter reduxit, non dilata, aut negata Absolutione, sed eadem iteratis illico post relapsum Confessionibus impertita. Do hujus rei exemplum ex descripta a Baccio sancti viri historia petitum *lib. 2. cap. 6.* cujus Italica verba hæc sunt: *Andò per confessarsi da lui un penitente così immerso in un vizio, che quasi ogni giorno vi cadeva, a cui il Santo non diede quasi altra penitenza, se non che quando avesse commesso qualche errore, subito senza prolungare niente, tornasse subito a confessarsi, e non aspettasse di cadervi la seconda volta. Obbedì il penitente, e Filippo sempre l'assolveva, replicandogli quell'istessa penitenza, e solamente con questo l'ajutò in maniera, che in pochi mesi rimase libero non solo da quel peccato, ma da molti altri ancora &c.* Notes proinde, Recidivos posse toties quoties absolvi, quando actu vere dolent, ac proponunt. Id Confessario innotescit ex aliquo ad emendationem conatu, qualis certe est reditus ad Confessionem ex Confessarii præscripto: ac propterea iidem spem faciunt futuræ tandem stabilis conversionis.

35. S. Franciscus Salesius, sapientia, discretione, ac suavitate mirabilis, iis quidem nolebat Absolutionem impendi, qui versarentur in occasione proxima, si alias moniti, ab ea se minime distraxissent, ut promiserant.

rant. Cæterum alios ipse pœnitentes cujuscumque generis, ex remotissimis etiam partibus ad se venientes, vel dispositos absolvebat, vel dabat operam, ut Absolutioni disponerentur, & rebus animi compositis, cum Deo reconciliati ad proprias domos redirent, ut late *in cap.9. lib.3. Vitæ*: imo suos instruens Confessarios, tunc illos docet a se inabsolutos dimittendos esse pœnitentes, quando ii caruerint necessariis dispositionibus, nec ipsi assequi potuerint, ut eos disponerent, *lib.3. cap.8. Vit.* Nunquam legimus, ipsum inabsolutos eos dimisisse, aut dimittendos docuisse, qui non flevissent diu, vel qui pravos habitus longa emendatione non enervassent.

36. S. Andreas Avellinus, in quo, testantur Lectiones Breviarii Romani, in Confessionibus excipiendis miram pietatem, & prudentiam enituisse, consuevit quidem pœnitentes per annos complures odiis, impudicitiis, aliisque vitiis coinquinatos, eosque vel nunquam ex illis sordibus egressos, vel sæpius in easdem relapsos, admirabili charitate excipere, atque, ubicumque se daret opportunitas sive in itinere, sive in agris, sive in pagis, sacra Exomologesi expiare; at memoriæ nusquam, quod sciam, proditum est, eos rejecisse, qui operibus satisfactoriis suum dolorem, & constans propositum non probassent, aut incapaces Absolutionis simpliciter eos censuisse, qui soliti fuerint post varias Confessiones in eadem, vel diversa peccata sæpius reincidere: quinimo accepimus, ipsum tum Placentiæ, tum Neapoli statim absolvisse inveteratæ malitiæ homines, qui ejus commoti adhortationibus, dolentes sua illi peccata sacramentali Confessione exposuerant.

37. Ad extremum celeberrimus Dei Servus, ac primus in Christo filius S. Ignatii de Loyola, P. Petrus Fabri, vir utique pietate, doctrina, ac prudentia insignis, quem maximi facit, ac summis laudibus exornat S. Franciscus Salesius, cum traderet Confessario cuidam præcepta ad homines a vitiis extrahendos, hæc habet apud Orlandinum *in prima Soc. Jesu Historiarum parte*, & *in Vita lib. 2. cap. 20.* ***Super omnia cave***, inquit, ***ne tædium capiat te tam sancto in opere, in quo Christum repræsentas peccatum mundi tollentem. Supercilium quoque detestare Pharisaicum, qui mansueti Christi locum tenes: erit quidem interdum agendum duriter; sed videndum est, ut exitus dulcis sit, ac ferme, nisi forte cum obstinato, qui nequaquam absolvendus sit, agas, nemo ita dimittendus, quin libenter sit rediturus.*** Hactenus ille. Quæ sane omnia quomodo conveniant cum eorum doctrina, qui Recidivos quosque sive in eadem, sive in nova, ac diversa peccata, inabsolutos semper, ac diu rejiciendos existimant, haud satis intelligo. Enimvero haud libenter redituri sunt, qui certo sciverint, post unicum etiam relapsum Absolutionem se minime impetraturos. Atque idcirco ajebat Leander a Murcia Capuccinus: ***Frequentem usum differendi Absolutionem Recidivis, bene cæteroquin dispositis, noxium plerumque esse, experientia docet.*** (inquit ille *lib. 2. disp. 1. resol. 14.*) ***eo quod differre Absolutionem, non est remedium, sed potius medium, quo in desperationem ruant, vel quo odiosa reddatur eis Confessio. Hanc experientiam, quam ego habeo, multi graves viri, qui Confessionibus audiendis frequenter vacant, similiter habuisse retulerunt.***

38. Haud equidem ignoro, a Doctoribus severioris sententiæ vocari in illius

illius patrocinium Sanctum Carolum Borromæum: ſed perperam id fieri pluribus oſtendit P. la Fontein *ad cit. Trop.* 87. *cap.* 17. Etenim S. Carolus ſic ait in ſuis primis Inſtruct. *Conſultum eſt differre Abſolutionem, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametſi dicant, & polliceantur, quod ſe eximent peccato, tamen Confeſſario probabilem metum faciunt, ne contrarium contingat*. Jam vero hæc S. Caroli doctrina nihil favet præfatis Doctoribus, ſed potius favet Doctoribus ſecundæ ſententiæ. Probo hoc. Nam in primis Sanctus Carolus non ait, neceſſarium eſſe differre Abſolutionem, ſed conſultum eſſe, & quidem non omnibus prorſus promiſcue pœnitentibus, nec per longum tempus, donec ſe integre emendaverint, uti contendunt Doctores illius primæ ſententiæ, ſed relapſis conſuetudinariis in ea circumſtantia, qua ii Confeſſario faciant probabilem metum de non futura emendatione ſimpliciter, ne aliqua quidem, & inchoata, ideoque de eo, quod non ſe eximent peccato. Explicat deinde idem Sanctus Archiepiſcopus, non ſemper eos facere talem probabilem metum Confeſſario, ſed in his certis caſibus a ſe enumeratis, ac ſimilibus: nempe *ſi peccatores, cum toto anno in peccatis hæſerint, Confeſſionem differant, contra ejus mandata, ad ultimos Quadrageſimæ dies; ſi multis annis in peccatis perſerveraverint, NULLA adhibita opera in emendationem vitæ; ſi occaſiones vitare non proponant; ſi, cum propoſuerint, & promiſerint, fidem in Confeſſione datam de illis dimittendis fregerint, præſertim ſæpius; ſi concubinam non dimittant; ſi contractus contra ejus conſilia initos non reſciderint; ſi Epiſcopali monitorio ſuper rebus deperditis non paruerint*. In his igitur caſibus, & non in aliis diſſimilibus, putat S. Carolus, pœnitentem facere Confeſſario probabilem metum de non futura ſimpliciter emendatione, ac tunc expedire, ſeu conſultum eſſe, ut illi differatur Abſolutio, & ſic procuretur indicium ſecurius doloris, ac ſerii propoſiti. Dixi, in his caſibus, & non in aliis diſſimilibus; nam tritum eſt apud juriſperitos axioma, teſte quodam docto Lovanienſe apud citatum la Fontein, quod *ubi Legislator regulam ſuam multorum coacervatione exemplorum explicat, regula iſta intra iſtorum, & ſimilium limites contineatur, & modificetur*.

39. Quare liquido conſtat, ni fallar, juxta S. Carolum non oportere ex obligatione, ac neceſſitate Sacramenti, ut ſemper differatur Abſolutio Recidivis, qui non fuerint integre ac totaliter emendati, ſed ſufficere, ut aliquam afferant emendationem, vel aliquam adhibuerint operam ad emendationem: præterea utile eſſe, conſultum eſſe, ut aliquando differatur illis Abſolutio, quando ſcilicet Confeſſarius, ut medicus, prudenter credat, non expedire hic & nunc, ut ſtatim detur Abſolutio, ac proinde dilationem Abſolutionis eſſe hic & nunc remedium utile ad illius pœnitentis emendationem, vel quando tales ſunt in pœnitente Recidivo circumſtantiæ, quæ prærequirant Abſolutioni ſignum ſecurius converſionis, prout ſunt in caſibus ſupra a S. Carolo enumeratis. In quo toto nihil eſt contra Doctores ſecundæ ſententiæ, multum vero contra Doctores primæ ſententiæ: unde perperam in ſui favorem iſti allegant S. Carolum. Vide plura apud P. la Fontein *loc. cit.*

40. Ne-

40. Neque obstat propositio sexagesima ex damnatis ab Innocentio XI. quæ ajebat : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem*. Non obstat id, inquam; nam Theologi secundæ sententiæ nunquam id affirmant, sed affirmant duo valde diversa: nempe 1. prudenter a Confessario judicari pœnitentem consuetudinarium esse dispositum, quando ille, non ore dumtaxat, sed serio, & ex animo dixerit se dolere, ac proponere, nec fuerit præsumptio in contrarium, ejus dictum elidens: 2. non esse hanc præsumptionem in contrarium, quando pœnitens afferat aliquam vitæ emendationem, vel aliquem ad emendationem conatum adhibuerit &c. Utramque hanc partem erroris expertem, & sanæ doctrinæ congruentem esse, ostenditur; tum quia prima pars est communis Doctorum, & expresse traditur a S. Thoma pluribus in locis, ac præsertim *in 4. dist. 17. quæst. 3. quæstiunc. 5. ad 2.* tum quia propositio damnata affirmabat pœnitentem consuetudinarium absolvendum esse, etiamsi Confessarius non habeat spem futuræ emendationis, idest etiamsi Confessarius non judicet prudenter, non credat, ipsum vere dolere ac proponere, siquidem ex defectu talis judicii deficit spes futuræ emendationis, & tale judicium vulgari, ac metonimica locutione appellatur *Spes*: hæc duo affirmant Theologi secundæ sententiæ; unde non opponuntur Decreto Innocentii; siquidem volunt, quod pœnitens non dumtaxat ore, sed serio & ex animo affirmet, se dolere ac proponere, & volunt, quod Confessarius habeat spem emendationis, idest judicet, pœnitentem vere dolere, ac proponere; addunt præterea hoc judicium prudenter haberi a Confessario, quando nulla est præsumptio in contrarium, pœnitentis dictum elidens; id quod contingit, quando pœnitens affert aliquam emendationem vitæ, aliquem conatum adhibuerit ad emendationem, occasionem dimiserit, ablatum restituerit; non vero si quid minimum fecerit, puta, semel recitaverit unicam salutationem Angelicam, ut irrisorie objiciunt Adversarii; nam ly *aliquis* non semper verificatur in minimo, ut docent Juristæ, sed ejusmodi dictio accipienda est secundum subjectam materiam, ut expendit Barbosa *ad hanc dictionem*.

§. V.

Brevis Conclusio totius Opusculi.

41. HAbes ex dictis sententiam, quæ in materia de danda, vel neganda Recidivis Absolutione magis placet: habes etiam fundamentum, cur illa magis placeat. Unde pronum est colligere, non errasse fortasse, si quis docuerit, non oportere Confessarium esse admodum difficilem in absolvendo Recidivum, qui vere doleat ac proponat emendationem, idque ei constet ex aliqua ipsius pœnitentis emendatione, aut alio ejusmodi solido indicio, una cum ejusdem sincera asseverantia de eo, quod ipse vere doleat, ac vere proponat. Docuisset is quippe sententiam, in qua (teste Card. de Lugo *disp. 14. sect. 10. num. 166.*) communiter conveniunt Auctores, quamque sancti

sancti viri, ut supra ostensum est, *recentibus hisce temporibus* inter excipiendas Confessiones in usu habuere, *antiquitus* vero a Conciliis, & Patribus traditam esse, fuse ostendit *toto ipso cap. 9. ad propositionem* 87. P. la Fontein, dum olim statim a Confessione, pœnitentibus contritis impertitam sine dilatione fuisse Absolutionem ibi demonstrat.

42. Quod præclaro exemplo & ratione confirmatum, accepimus in Actis Sanctorum apud Bollandianos; nam ibi narratur S. Vitalem Abbatem, qui floruit sæculo reparatæ salutis decimo, non verbo dumtaxat, sed etiam exemplo benignitatem ejusmodi inter Sacramentum Pœnitentiæ administrandum alios docuisse. En ipsissima Historici verba ibi: *Ad sanctissimum virum plures undique confluunt, & peccata, quæ fecerant, sibi humiliter confitentur. Ille humanæ naturæ imbecillitatem pia consideratione videns, uniuscujusque morbo, secundum quod eum ferre posse cognoscit, curationem adhibet salutarem, &, ne succumbat oneri, quæ gravia sunt, leviori tritura moderatur, impotentes absolvit, allevat aggravatos, providens, ne propter onera gravia, & insustentabilia, sicut diversæ multorum hominum mentes, in profunda perdantur ignorantia, & a desperationis dæmone pertrahantur. Qui dum tanti Patris exhortationes admittunt, monitis acquiescunt, declinantes a malo in bono Pœnitentiæ se confirmant, & confirmati ad propria cum gaudio revertuntur. Ex vicinis ergo Regularibus duo sanctissimi Patres, Leontius de Petra, & Hilarius de Galasio, talia audientes, fuerunt non modice admirati, quonam modo B. Vitalis tantam remissionem indulgeret illis, qui sunt in gravioribus culpis: existimantes autem illum tanquam idiotam, iter ad eum direxerunt, volentes interrogare, qua ratione ita solvit eos, qui sua sibi confitentur peccata. Tandem in speluncam, in qua Sanctus manebat, pervenerunt, & salutatione ad alterum facta, vir Dei plenus Vitalis causam itineris intellexit: gavisus est ipse, & benedictionis atque lætitiæ gratia mensam is ad prandium paravit, & de his, quæ solitus erat ipse comedere, elixando decoxit, & illis apposuit, qui contingentem inde vaporem, & odorem perpeti nequeuntes, a mensa protinus recesserunt. Hoc cum vidisset B. Vitalis, dixit ad eos: sicut ferre non potuistis cibi hujus odorem, ita & impositas homines graves pœnitentiæ leges nequeunt sustinere, & plurima iis exempla de hac eadem materia proponebat. Admirantes autem illi spiritualem hujus viri sanctissimi voluntatem, viam, qua venerant, adierunt, Omnipotenti Deo laudem, ac gloriam referentes.* Hactenus Bollandiani. Unde, benignitatem Confessarii facere, ne Confessio sit odiosa, & ut ea magis plerumque prosit pœnitentibus, quam nimius rigor, satis constat.

43. Enimvero Scripturis eum magis adhærere, & ab errore eum magis abesse crediderim, qui cum Navarro, Toleto, aliisque talibus id senserit; quam qui oppositum cum Merbesio, Opstraet, Juenin, aliisque hujus notæ contenderit. Quamquam de hoc satis. Duo nunc supersunt, quibus unumquemque ad calcem monitum velim. Alterum est, ne quisquam facile se abripi sinat fuco quodam purioris ethicæ, ac veteris, ut in ore nonnulli habent, instaurandæ disciplinæ, & probitatis; sed cautus, Fideique Catholicæ tenax, sedulo perpendat, num speciosa quædam asserta, ut notat la Fontein

ad prop. 87. *cap.* 5. viam sensim aperiant opinionibus doctrinæ non sanæ. Audit quis, ex. gr. non esse absolvendos prava consuetudine laborantes: videat, ne brevi gradus inde fiat ad sentiendum, pravum habitum (ut de fomite concupiscentiæ docuerant hæretici) non solum esse peccati effectum, sed peccatum, quo actualiter manente, absque dubio pœnitens justificari non potest. Audit, relapsos non facile absolvendos, sed rejiciendos a Confessario: caveat, ne res eo tandem a nonnullis feratur, ut persuaderi velint, Sacramentum Pœnitentiæ esse veluti Sacramentum Baptismi, quod iterari non potest, præsertim si ii utantur eo argumento, quo olim utebantur hæretici de incorruptibilitate charitatis. Audit rursus, pœnitentem ante Absolutionem diu flere, amarissime conteri, pœnitentiæ, ac perfectæ charitatis actibus exerceri debere: videat, ne id eo spectet, ut clam is error doceatur, ab Sacerdote non remitti peccata jam antea fletu, & actibus sinceri amoris, perfectæque Contritionis remissa, sed ejus Absolutionem esse nudum ministerium, quo declarentur remissa peccata; atque idcirco Sacramentum Pœnitentiæ sacram quamdam cæremoniam esse, significantem, gratiam fuisse restitutam, nec propterea esse illud ad peccatoris justificationem necessarium. Videat, inquam, hæc diligenter, quisquis ea audit asserta, &, ut Vincentii Lirinensis verbis utar, pertimescat, ne sub Divinæ legis umbraculis errores occulti latitent, qui deinde serpant.

44. Alterum est, ne quis facile eos Sanctorum Patrum textus ad rem, de qua agimus, opportune allegatos existimet, nisi prius ex regulis theologicis apud Canum *lib.* 7. genuinam eorum Patrum mentem is fuerit assecutus. Constat quippe ex Petro Lombardo *lib.* 4. *Sent. dist.* 14. 10. & ex S. Raymundo *in Summ. lib.* 3. §. 1. nonnullos olim abusos fuisse auctoritate Patrum, nempe S. Augustini, S. Gregorii, aliorumque, ad probandum, veram non esse pœnitentiam ejus, qui postea relabitur; ipsi enim duo gravissimi Auctores explicant, quo sensu Patres locuti fuerint, quando ajebant: *Vera pœnitentia est anteacta deflere, & flenda non committere*. Mirum proinde credas, quod adhuc recentiores aliqui afferant eosdem textus, velintque, eos accipi in sensu rejecto a tam gravibus Doctoribus. Quare cavendum unicuique est, ne statim, ut dicebam, per complures allegatos textus id a Patribus significatum judicet, quod eos allegantes iisdem significari contendunt.

45. His apposite, nisi fallar, monitis*, illud omittendum non est, ut Sedis Apostolicæ correctioni, ac judicio plenissime subjiciam quidquid hactenus differendo, atque opinando potius, quam stabiliendo, ac definiendo a me dictum est. Id enim unum in scribendo spectavi semper, ut Ecclesiasticorum eruditioni consulerem, animarum bono pro viribus prospicerem, & a præceptis, institutisque sanctæ Matris Ecclesiæ, ne transversum quidem, ut ajunt, unguem scienter discederem.

INDEX MATERIARUM.

A

B

D

E

F

G

tam

Q

R

Quot

FINIS LIBRI TERTII ET ULTIMI.